UNIVERSITY
OF
TORONTO
LIBRARY

LL
P5324M

# PHAEDRI

# FABVLARVM AESOPIARVM

## LIBRI QVINQVE.

EMENDAVIT ADNOTAVIT SVPPLEVIT

LVCIANVS MVELLER.

LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI
A. MDCCCLXXVII.

22515
23|3|02

LIPSIAE TYPIS B. G. TEVBNERI.

CONCILIO · PROFESSORVM

IMPERATORII

INSTITVTI · HISTORICI · PHILOLOGICI

DECEM · ANNOS · FELICITER · PERACTOS

GRATVLATVR

**LVCIANVS · MVELLER**

Decem abhinc anni sunt elapsi, ex quo Institutum hoc auctoritate Publica est conditum ad studia antiquitatis promovenda in Imperio Rossico et praeceptorum sermonis Graeci et Latini penuriam, qua laborabatur, imminuendam. Iam etsi non est nostrum diiudicare, quo modo functi simus munere mandato, non tamen inutilem prorsus Rossiae nec spernendam navasse ut videamur operam, facit alterum Institutum ad nostri instar conditum ante biennium Nesjhini. Quod siquid praestitimus laude aliqua dignum, id non magis partum cura ac studio nostro, quam summa consiliorum rationumque, qua iungimur omnes, constantia concordiaque.

Septimus est annus, ex quo Petropolim evocatus Collegio Vestro accessi. Vos solo nomine Vobis cognitum benigne indulgenterque cum recepissetis, non ut desiderarem patriam, equidem omni opera id studui, ut dignus existimarer coetu tali. Itaque cum duplex sit munus Professoris, alterum ut artes, quibus ipse est instructus, edoceat iuventutem, alterum ut scriptis editis promoveat disciplinas, nos utroque, quantum per virium licuit tenuitatem, sedulo sumus functi. Et doctoris quidem in officio qua diligentia sim versatus, qua fide, omnes Vos, viri optimi verique amantissimi, habeo testes locupletissimos, ut siquis contrarium adseverarit, tales ego calumnias nauci faciam; eodem tempore quot libros ediderim ad Philologiam Latinam pertinentes (quamquam nullum in hac urbe

Professorem pluribus distineri lectionibus existimo quam me praeter vos etiam alii norunt haud ita pauci.

Restat ut fausta omnia precemur Instituto nostro Vobisque omnibus, quos scimus hoc novissimum studiorum nostrorum documentum eodem esse animo accepturos, quo est oblatum.

## CAPVT I.

### DE PHAEDRI VITA ET SCRIPTIS.

I. Phaedrus sive is vocatus est Phaeder Augusti libertus, vel eius qui primus hoc nomen accepit vel successoris Tiberii, natus est, incertum quo anno, in monte Pierio apud Macedonas. Idem tenera adhuc aetate in occidentem videtur esse delatus, cum ipse asserat, puerum se legisse in schola Ennii quendam versum, sive Romae id fuit sive potius alibi. Romae enim haud ita multum post Vergilii et Horatii obitum sublatam omnino e ludis antiquorum memoriam docemur eis quae de Valerio Probo, Phaedri aequali, tradit Suetonius [de ill. gramm. 24]. Ceterum ubi in familiam Caesarum transiit, et liberalium artium studio et dexteritate morum effecit, ut libertate donaretur.

Iam regnante Tiberio cum duo fabularum volumina emisisset, Seiani fraude est circumventus. Erant enim in eis quae serviente civitate et cuncta malignius interpretante haud incommode possent flecti in hos ipsos, ut puta quae de ranis regem petentibus vel de graculo superbiente sive de sole uxorem ducturo prompserat scriptor, ne alia pleraque, quae pravitate conscientiae aut suspicandi temeritate trahi potuere in crimen, nunc tangamus. Quod cum ita esset, a Seiano vel clientibus Seiani maiestatis est accusatus damnatusque haud dubie, etsi de poena eius non satis constat. Neque vero interfecto Seiano inimicorum odio et insectatione caruit idem, quibus obnoxium se identidem fatetur libro tertio. Hunc cum leniendo dolori composuisset, Eutycho cuidam inscripsit liberto C. Caesaris vel Claudii, quem simul ut se vindicaret a periculis instantibus rogavit. Idem tamen insecuto tempore a noxio-

rum iniuriis tutus et cum nullius praeter famam rei esset cupidus satis beatus, rei familiaris tenuitatem si exceperis, videtur vixisse. Obiit exacta aetate sub Claudio vel Nerone. Nomen in antiquitate ac per proxima saecula haud ita magnum, aliquanto auctius recenti tempore optinuit. Aequalium eius ut libertini ingenio obtrectantium invidia plurimum carpitur ab ipso. Ceterum de vita et casibus eius cum alibi nihil sit traditum antiquitus, quicquid innotuit ipsius docemur carminibus.

Scripsit autem Aesopum secutus fabularum libros quinque, e quibus tamen sat multas intercidisse apparet non modo Perotti copiis, qui medio saeculo quinto decimo usus membrana locupletiore XXXI poemata servavit quae non reperiuntur in codicibus Pithoeano et Remensi, sed et eius cura, qui tempore Merovingiorum Phaedri multa opuscula in pedestrem sermonem conversa et coniuncta cum aliis redegit in corpus fabularum, quod inscriptum est Aesopi nomine. Et e primo libello quaedam perisse ipsius poetae testimonio firmatur, quippe qui narret in eo etiam arbores esse collocutas, cuius nunc quidem rei nec vola nec vestigium exstat. Praeterea secundum volumen et quintum plurimum labis traxisse ipsa paucitate fabellarum indicatur. Haec damna ut aliquo pacto resarcirentur, excerptas ex anonymi sylloge fabulas XX quae maxime dignae esse viderentur Phaedro rursus metro adstrinximus.

In deligendis adornandisve fabulis, quas partim ex Aesopo vel aliunde transtulit auctor partim novavit ipse, aliquando iudicium desideres, nec vero ubique proprietatem logi Aesopii satis recte aut perspexisse aut perspectam servasse videtur idem. Sunt tamen carmina eius nonnulla, quae omni elegantia floreant. Genere dicendi utitur ut plurimum facili et terso, aliquando sane parum subacto nec satis laeto aut vivido. Hoc vitium maxime declarant abstracta posita pro concretis qualia habes versibus his 'tum demum ingemuit corvi deceptus stupor' 'sic totam praedam sola inprobitas abstulit' aliis. Ceterum istam discendi proprietatem videntur recte explicare illi, qui personas, quas proponit Phaedrus, vix aliud quam umbras et exempla morum humanorum esse contendunt. Idem

quod haud raro graeca vocabula adhibuit, fabularum per humum repentium (ut Horatii verbis utar) proprietate et communis vitae usu satis excusatur. Sunt et alia quaedam in scriptis eius quae comicorum vel satiricorum dicendi genus referant. Valde excellit metri peritia, ut tamen versus eius studio potissimum et labore, non perinde nativo quodem lepore (quem sentias magis quam describas) praestare appareat. De quibus iam exponetur.

Summarium
artis metricae Phaedri.

Vt Terentii, ita Phaedri artem metricam primus introspexit Bentleius, in quam tamen ipse peccavit interdum, sive festinatione nimia operae, sive quod sensu magis quam ratione leges versuum perceperat. De eadem cum cura quaeritur in opusculo cui inscriptum est 'de Lucilii Varronisque et Phaedri iambis ac trochaeis Italicis'. Ceterum tanta diligentia usus est in versibus pangendis Phaedrus, ut per annos proxime praeteritos cum eum retractarem novas quasdam eius observantias detexerim, maxime circa elisiones et rhythmos.

Phaedrus ut inpuros trimetros, non eos qui tragicorum Augusto aequalium Catullique ac Bibaculi et Horatii usu increbuerant, operi adhiberet, comicorum veterum adductus esse potest videri exemplo. Hi enim — grammaticorum Latinorum placitis si credis — ut quae loquuntur sumpta de vita putes, vitiant iambum tractibus spondiacis. Plerumque tamen dubito an Syri potius sententiarum, quae tum maxime in ore erant hominum, auctoritate inpulsum eum putem, ut simile genus metri in materia haud ita diversa adhiberet. Sed utcumque res habet, magna certe cum cura expolitis utitur iambis idem et qui a Plauti et Terentii placitis plurimum differant. Nam et hoc acriter vitavit, ne versus nimium gravarentur onere spondeorum, quos iambis aliisque pedibus immixtis prudenter temperavit, et insignem circa solvendas arsis vel thesis nec minus circa elisiones et synizeses adhibuit diligentiam.

Itaque primum omnium notandum, Phaedrum ne vis metri infringeretur timuisse uti tribracho praeter pedes secundum, tertium, quartum. A qua norma quae inveniuntur exempla aliena, paucissima quidem illa numero, aut alias etiam ob

causas sunt suspecta aut talia utique, quae facillima opera ac vix ulla possint emendari, ut ne mediocrem quidem possint fallere criticum.

Praeterea per omnes partes metri excepta ultima spondeis et iambis promiscuus usus adest, ea tamen lege ut quinto pede potior sit spondeus. Tamen et ibi admittitur iambus si terminetur versus vocabulo plus quam trisyllabo velut ita

ranae vagantes liberis paludibus.

In hanc etiam licentiam concessere versus, in quibus amphibrachus vel creticus cum monosyllabo insequente vel praecedente coalescunt in unum:

odi, inquit, illum quia malis amicus est.
trepide concursans occupata in otio.

Recte etiam in fine videtur copulari trochaicus exitus verbi trisyllabi aut longioris cum cretico:

canis parturiens cum rogasset alteram.

Equidem non ignoro licentiae huius nec multa extare exempla et quorum pleraque aut verbis traiciendis aut alio modo facile possint tolli. Sed mihi Plauti Terentiique ac Lucilii et Varronis observanti versus non placuit omnino a Phaedro abiudicare, quod illis esset probatum haud dubie. Sed minime licet quintum pedem contineri verbo in iambum exeunte, cuius vitii plurima exempla Phaedro intulere docti.

Anapaestum ubique pro spondeo poni fas est, qua tamen praeter primum locum et quintum non ita multum, utitur scriptor venia (et saepius quidem in tertio pede, quam in secundo aut quarto), nec vero umquam ab eo bini continuantur pedes eiusmodi. Dactylo in prima potissimum tertiaque et quarta sede locus est; sed idem nec alibi nimis rarus. Inveniuntur non ita infrequenter duo dactyli continui; contra raro admodum et sua plerumque venia excusati tres, ut I, 5, 8; II epil. 1; IV, 4, 4; VI, 3, 1; 26, 1. Proceleusmaticus tantum initio senarii adhibetur. Omnino eum alienum a Phaedro existimavit A. Nauckius, v. cl., in opusculo quo de Syri agit sententiis pgg. 203, 4. Sed quam non modo Syri versibus nonnullis (cf. Nauck. libelli pgg. 205, 6), etiam Senecae, qui multo magis quam illi ad Graecorum se applicuit normam,

septendecim probatam videmus licentiam (cf. d. r. m. pg. 157), ut omittam Plauti ac Terentii Luciliique ac Varronis exempla, eam a Phaedro abiudicare equidem non sustinui. Quod cum ita sit, non sum veritus revocare IV, 11, 12 codicum scripturam

itaque hodie nec lucernam de flamma deum

pro vitiosa, quae fertur vulgo, 'ita hodie'. Ceterum Phaedrus semper, ut plerumque solent ceteri, ita adhibuit proceleusmaticum, ut inciperet versus a pyrrhichio, sequeretur vocabulum etiam constans pyrrhichio aut quod incoharet pyrrhichius. Vix autem est quod moneam non esse referendos inter proceleusmatici pedis exempla versus illos, quorum in initio legitur 'beneficium' sive 'nihil'. Praeterea notandum arsis solvendae morem, etsi satis frequentem, tamen plurimum in vocabulis plus quam disyllabis inveniri. Ex eis excipiuntur tribrachorum vel dactylorum et in tribrachum sive dactylum exeuntium partes paenultima et ultima, nec minus ultima dactylorum vel in dactylum desinentium et spondeorum sive pyrrhichiorum, in quas solutam arsin cadere nefas. Est ubi in disyllabis admittatur eadem; rarius multo evenit ut monosyllabo sequente plus quam monosyllabo contineatur arsis, ut puta sic

calumniator ab ove cum peteret canis.
et rapiet ad se quod erit commune omnium.

Praeterea notabilis sed legitima venia tutus appendicis versus [10, 10] hic:

non ut labores facio, *sed ut* istum domes;

nisi potius scribemus 'sed uti stum'.

Quinti pedis arsin non licet solvi nisi vocabulo plus quam trisyllabo claudente metrum, a qua norma vix sunt diversa haec [V, 7, 22; app. 9, 6]

quidam in conspectum proditurum sine mora.
respondit illa: quicquid dederis satis erit.

Arsin diduci sequente anapaesto vel tribracho non permittitur. Anapaesti thesin vocabulo disyllabo contineri non licet praeter primum pedem et aliquando quintum [III, 10, 4; 14, 11; app. 19, 3; 30, 10]. Praeterea notanda sunt thesis in primo loco liberius habitae exempla III prol. 49; IV, 5, 34; VI, 2, 8; 8, 21.

Praeterea observatur ne unquam pes secundus vel tertius sive quartus contineatur fine vocabuli in spondeum, anapaestum, dactylum exeuntis. Nulli igitur versus sunt ut puta tales:

recu*savit,* quod clausae erant stomachi viae.
et protinus au*xilium* petens anser simul.
cibo impleretur ser*vitium* negaverant.

Exemptus est huic legi versus antiquissimi poetae Ennii qui legitur in epilogo l. III [34].

Quid quod et hoc cavit Phaedrus, ne antibacchiaca, nedum molossica, quae in prima haberent ictum, in his versus partibus elidendo imminueret. Quae cum ita sint, non potuit servari, quod olim recepi secutus Bentleium [I, 14, 8]:

antidoto *miscere* illius se toxicum.

Nec magis trochaica aut tribrevia (nedum spondiaca et anapaestica), quae non habent ictum, solent elidi in thesi secunda, tertia, quarta, praeter finales a solita nominum et verborum flexione alienas, quales sunt in illis 'quoniam', 'idem', 'esse', 'atque' [I, 2, 23; IV, 26, 4; 13, 1; 25, 9; VI, 4, 20].

Caesura longe frequentissima est penthemimeres velut ita:

Aesopus auctor | quam materiam reperit.

Quae si non adest, hephthemimeres adhibetur cum incisione post secundum pedem:

quod arbores | loquantur | non tantum ferae.

Haec potest neglegi, si duo post secundam thesin trochaei uno contineantur vocabulo:

cum tristem servitutem flerent Attici.

Restant duo versus qui caesuram habent post praepositionem verbi compositi [III, 15, 6; V, 7, 19]:

novissime prolapsam ef fudit sarcinam.
ipso ludorum os tenderet sese die.

Synizesis licentia permodica apud Phaedrum nec alia quam optimorum ex aequalibus. Ad elisionis, quam magna cum cura adhibuit idem, exempla minuenda primum diligenter est observandum ubique apud eum sicut apud reliquos poetas Latinos verbi auxiliaris 'est' demi vocali vel m consona praecedente primam litteram:

haec propter illos scriptast homines fabula.
a corcodilis ne rapiantur traditumst.

Praeterea non licet elidi iambica sequente brevi nec magis copulari eadem cum acuta praeter imperativos quosdam ut puta hos [III, 7, 15; V, 9, 4] veni ergo, tace inquit. Quas in thesi prima factas toleraveram a. 1868 elisiones, iam omnes damnavit animus. Item elisio aliena ab pede ultimo. Alioqui maxima elidendi licentia Ph. utitur circa initia versuum thesinque vel arsin quintam, maxima cautione circa caesuras. Plura de iungendis vocalibus Phaedri placita qui volet cognoscere, legat quae in libro nostro pg. 427 reperiuntur. Ceterum quanta usus sit in elisionibus adhibendis vel arcendis cura Phaedrus, hac primum editione perspicitur. Atque adeo dubito plerumque, an illa [IV, 5, 34; VI, 8, 21]

domum et ornamenta cum venustis hortulis
virum ut in re atroci Magnus stomachans imperat

mutanda sint eis, quae adscripta sunt a nobis infra.

Hiatus aut productiones brevium a Phaedro esse aliena sat constat, excepto quod ille dactylicos secutus saepe porrexit in mediis verbis correptas ante mutam cum liquida. Contra notanda 'ibi stans' 'ego scalpam' [III, 3, 14; app. 9, 12] breviata secunda.

Sed iam satis; nam leviora quaedam in commentario tangentur.

---

## CAPUT II.

### DE EMENDANDIS PHAEDRI FABVLIS.

Quod dicit Phaedrus in promythio fabulae libri IV primae:

qui natus est infelix, non vitam modo
tristem decurrit, verum post obitum quoque
persequitur illum dura fati miseria,

censendus est optime confirmasse exemplo proprio. Etenim cum per totam vitam obtrectatoribus fuisset obnoxius, neque

insecutis antiquitatis saeculis multos habuisset sui studiosos, medio autem aevo fabulae eiusdem lectitatae essent saepius quam descriptae, ut perpauca earum ad illud tempus, quo humanitatis studia sunt renata, exemplaria propagarentur, ultimus calamitatis accessit cumulus, ut ne hi quidem, quos aetas tulerat, libri manerent integri ad nostrum tempus, quo primum scriptorum veterum codices qua decet industria et fide excuti sunt coepti. De qua re etsi pridem constabat inter homines literatos, certiora etiam sum edoctus itinere eo, quod aestate anni modo elapsi studiorum causa in Galliam susceperam. Quae cum ita sint, non erit inutile cum cura demonstrare, quibus tandem subsidiis nitamur in nova quam paramus recensione fabularum Phaedri.

Sed de his antequam dicatur, exponendum est, quid mihi multum meditato statuendum esse videatur de communi illo antiquissimo libro, ex quo et codices fabularum qui extant et Aesopi fluxit paraphrasis.

Igitur sic habeto:

Merovingiorum aetate cum fuisset in Gallia codex, Phaedri fabularum quinque qui contineret libros, capitalibus ille litteris exaratus et distinctis legitime versibus, sed male corruptus idem, ex hoc sive ex apographo eius excerpta est anthologia illa, quae servato numero librorum, versibus tamen continua exaratis scriptura, ut non differrent specie a sermone pedestri, repetita est codicibus Pithoeano ac Remensi. Haec etiamsi abundabat vitiis partim repetitis ex codice illo pleniore, unde est excerpta, partim additis ab ipso librario, tamen etiam atque etiam monendum archetypi illius, qui capitalibus litteris fuit exaratus, speciem atque adeo ipsius Phaedri verba multo melius quam membranis Danielis et Perotti servata esse Remensi ac Pithoeana. Quo magis impellor, ut de illa exponam subtilius.

Igitur quamquam non est mirum ab eo, qui excerpsit eam ex archetypo, ex singulis libris modo plures modo pauciores electas fabulas, tamen vix est probabile eum ex altero octo, ex quinto decem adsumere satis habuisse fabulas. Et e libro secundo anthologiae post c. 4, e quinto post prologum quaedam intercepta ipsa re docemur. Nam in fine huius

aliquid deperisse non satis constat. Non minus id certum in libro quarto. De tertio libro et primo neque negarim temere neque affirmarim. Nam quod in primo unam certe fabulam, qua arbores inducerentur loquentes apparet desiderari, potuit omitti fabula eius qui excerpsit anthologiam neglegentia. Qui quidem in fabulis eligendis eodem fere iudicio, sive defectum iudicii mavis dicere, videtur esse usus atque is, qui anthologiam eam de qua statim dicetur compilavit. Praeterea pagina traiecta tertii libri epilogus cum prologo quarti translatus est in finem libri quarti, quarti epilogus hac ipsa ut puto occasione detrusus in l. quintum, ubi collocatus est post f. 5. Alteram anthologiam perinde quinque constantem libris duxit ex archetypo is, qui recisis omnibus quae ad Phaedri vitam et aetatem spectarent et adeo ipso nomine auctoris, cui nescio an substituerit Aesopi, nihil habuit propositi nisi ut extaret sylloge quae ad mores hominum formandos in scholis posset legi. Igitur ex prologis nihil servavit nisi paucos versus prologorum libri I, III, IV, V, quibus genus libri et fabulae quae ab Aesopo traxit nomen natura describerentur simul excerptis nonnullis, quae ad laudes hominis, cui inscripsisset syllogen, pertinerent. In fine operis collocavit idem versus priores 4 epil. l. II cum prol. III, 38. Praeterea operis rationibus congruum existimavit promythia et epimythia tantum non omnia sententiis mutare pedestribus. Alioqui versus legitime discretos servavit. Deinceps turbato iam ut videtur hic illic fabularum ordine totum opus in prosam convertit servato quidem numero librorum auctor aeque anonymus, a quo etiam ex Dositheo et aliunde additae sunt fabulae: qui liber Aesopi nomine inscriptus posthabitis Phaedri carminibus communi hominum litteratorum usu iam optinuit. Eiusdem illius exemplar sylloges, sed omisso libro primo, fortasse etiam parte secundi, praeterea disiectis mirifice et diffusis paginis, in Italiam est advectum, eoque est usus Perottus, qui Phaedri nomen quod memorat, id minime petitum est ex illo, sed ex prohoemio Aviani. Hactenus haec: nam de Perotti curis et de Aesopi Latini in libello de Phaedri et Aviani fabulis (pgg. 9—22) accurate dictum. Danielis charta ex apographo archetypi antiquissimi videtur esse ducta, in qua inscriptiones essent

subinde mutatae et ad marginem additae, verba ipsa Phaedri interdum inversa liberius.

His expositis iam de codicibus quos aetas tulit est agendum.

Vnus nimirum hodie extat liber scriptus, quo quinque earum libri contineantur, quem vulgo vocant Pithoeanum, quia olim fuit Petri Pithoei, qui primus edidit Phaedri carmina. Membranam a Francisco fratre commodatam quod in fine operae dicit abbreviatione usus vet. ex. Cat., videtur indicari, ex oppido aut Catalaunensi, quod hodie vocatur Chalons-sur-Marne aut Catuacensi sive Duacensi (nunc appellatur Douay) eam esse desumptam. Vsi sunt eo post Pithoeum Rigaltius, Bongarsius, Broterius, denique omnium accuratissime Bergerus. Contra quod suspicatur Orellius, in exemplari quodam editionis Pithoeanae, notis diversarum manuum instructo, quod extat hodieque in bibliotheca publica Parisina, notatum ita: Y 6562, haberi lectiones aut e Pithoeano codice petitas aut e Remensi quae incognitae essent hactenus, falli eum opinione testis oculatus possum asserere. Nihil enim inveni in notis illis, quarum pars satis difficilis erat ad legendum, quod non aliunde esset cognitum, excepto quod epil. l. III, v. 27 ascripta est lectio alioqui mihi ignota 'tatere' cum nota 'v', qua saepius repetita videtur significari codex Pithoei. Hic post varia fata, quae exposuit Bergerus in praef. pgg. 30—42, iure hereditatis pervenit in bibliothecam Ludovici Peleterii de Rosanbo, Marchionis Gallici; hodie exstat in libraria eius nepotis, quae asservatur in villa, quae vocatur du Mesnil, prope oppidum Meduntam haud ita procul a Lutetia situm. Equidem cum nihil antiquius ducerem, quam ut denuo examinaretur liber tam pretiosus, statim post adventum meum adii Lutetiae tum forte versantem Marchionem de Rosanbo, ut eius conferendi facultas mihi fieret. Qui cum primum facillime precibus meis concessisset, promisissetque paucis interiectis hebdomadis, si ab aquis quas petebat Normannicis rediisset, copiam mihi fore eius libri, postea promisso non stetit, sed variis tergiversationibus impeditum detinuit, donec tempus mihi adesset redeundi in Rossiam. Quod eo magis mirum, cum et reliquorum, qui adeundi mihi erant studiorum causa, Gallorum

maximam sim expertus comitatem et constet litteratos Gallicos, siquando veniunt in Rossiam, summo semper et publico et privato excipi studio. Eum tamen fructum operae impensae percepi, ut monstraret mihi codicem suum possessor et paucula me ex eo decerpere sineret. Ex quo eam animo imbui opinionem, Bergerum, nisi fuerit a prudentia et cura omni alienus in scripturis codicis describendis, qualem eum fuisse minime probabile est, ne potuisse quidem peccare multum. Est enim exaratus scriptura nitidissima et facillima ad legendum, saec. IX vel X, quam Carolingicam solent vocare docti, neque habet compendia scripturae nisi pauca et vulgaria; cuius rei testimonium etiam est exemplum quorundam codicis versuum, accurate redditum, quod in calce exstat libri Bergeriani.

Alter quinque fabularum librorum codex eiusdem fere ac Pithoeanus aetatis (id quod apparet ex specimine scripturae expresso in Seebodii nov. archivi II, 3 pg. 1), qui olim fuit in bibliotheca abbatiae Remensis, incendio est absumptus anno 1774. De hoc breviter disseruerat in fastis Remensibus a. 1774 Vincentius, cuius repetiit opusculum Bergerus pgg. 81 sqq. Quaedam etiam ab eodem Vincentio sunt notata de membrana illa in schedis additis editioni Parisinae, de qua dicetur infra. Vsi sunt ea Rigaltius, qui excerptas inde lectiones a Sirmondo Iesuita acceperat, Gudius, Vincentius, cuius collationem satis accurate, ut videtur, expressit Bergerus pgg. 89—109. Eandem adhibuerat Broterius.

Functus est Iacobus Claudius Vincentius circa annum 1770 bibliothecarii abbatiae St. Remensis munere, ut appareat falli Bergerum, qui praenominum eius notas ponit: L. X., quas ortas videri ex compendiis vocabulorum, quae sunt *frater* et *Iacobus Claudius* (fr. et IC) monuit me Vlixes Robertus, bibliothecarius Parisinus. Iam cum haud immerito questus esset Orellius, quod Vincentius in collatione facienda usus esset obscura quadam et puerorum in usum mutilata editione Parisina Phaedri, quodque ne Bergerus quidem in locis saltem gravioribus rettulisset, quaenam in ea extaret lectio, ego meum esse putavi iterum consulere notas Vincentii. Sed ecce nova Phaedri calamitas! Nempe id exemplum editionis huius, cui

addita esset collatio codicis Remensis a Vincentio facta, reperiri in bibliotheca publica Parisina, in qua fuerat tempore Bergeri, quantumvis studiose iam quaereretur a bibliothecae praefectis, non potuit. Itaque fuit acquiescendum in alio eiusdem bibliothecae exemplo, quod notis omnibus careret, ut id quod Orellius in Bergeri curis desideravit aliqua saltem parte supplerem.

Igitur editio illa, forma constans admodum minuta, prodiit Parisiis apud viduam Brocas a. 1743, hoc quidem titulo: Phaedri, Augusti liberti Aesopicarum fabularum libri quinque, accurate ad meliorum codicum fidem et nitidioris orthographiae leges emendati. Absunt ab ea fabulae nonnullae, quas indicavit Bergerus. Crisis factitatae genus idem, quod plerumque optinet hodieque in libris puerorum ad usus destinatis, ut modo coniecturae hominum doctorum, quantumvis audaces aut dubiae, cum fiducia sint substitutae lectioni antiquitus traditae, modo emendationes elegantissimae certissimaeque membranarum sordibus sint posthabitae. Notavi lectiones memoria aliqua dignas ex editione ista qualicumque has: I, 11, 15 (rec. meae): *simili fuissem in metu*; I, 17, 8: *conspexit;* II, 5, 10: *prospectat Siculum et prospicit Tuscum mare;* III prol. 20: *quamvis in ipsa natus sim pene schola;* ib. 52: *si Phryx Aesopus potuit, Anacharsis Scytha;* III, 5, 6: *venit ecce;* ib. 10: *comprehensus;* III, 10, 48: *pater familias;* III, 19, 7: *et quidam e turba;* IV, 23, 25: *portant;* ib. *obvius*; IV, 26, 23: *diffluentes:* V, 6, 7: *huic querela convenit:* V, 7, 2: *arripuit.*

Satis iam apparet exemplis a me propositis, non iuvari nos multum in Phaedri verbis restituendis libro isto, cum praesertim non ea cura ed. Rem. collatus sit a Vincentio, ut certo possit affirmari eandem ubique esse eius scripturam atque editionis Brocasianae, ubi nihil ab illo est adnotatum.

In emendandis scriptis Phaedri cum maxima ac propemodum unica sit auctoritas libri Pithoeani ac Remensis, non possum, quin de his disseram accuratius.

Igitur utrumque ex eadem illa anthologia, de qua supra memoravi, ductum pari fere diligentia a librariis aeque imperitis omnino constat; ita non est mirum, quod alter alterius est similis vix minus quam ovum ovi.

Vterque, ut supra memoravi, noni vel decimi saeculi. Pithoeanus, de quo cum cura egit Bergerus praef. pgg. 54—62, est membranaceus, forma ea, quae dicitur in quarto, paginis constans 54, ex quibus Phaedri fabulas continent priores 39, reliquae tractatum de monstris. Post pg. 39 Pithoei aetate extabant vestigia abscissae sequentis proxime paginae, quae deinceps videntur esse sublata a bibliopego, qui Pithoei apographum, 32 constans illud paginis, iunxit cum ipso codice ita, ut ante Phaedri fabulas poneretur. Ceterum in pagina illa, quae ablata est, nihil fuisse perscriptum, admodum probabilis est coniectura Bergeri (pg. 59), qui monet librarium in altera parte ultimae fabularum paginae non modo litteris amplioribus esse usum, sed etiam aliquantulum vacui spatii reliquisse in fine fabulae paenultimae pariter atque ultimae, id quod numquam alias factum. Itaque potuisse fieri ut librarius antequam absolveret Phaedrum, incoharet tractatum de monstris, relictis, quae sufficere viderentur describendo Phaedro, paginis; qua in re cum eum computandi ratio fefellisset, hanc qua non opus erat relictam vacuam, eamque postea ut supervacaneam sublatam. Alioqui lacunarum in Pithoeano non magis quam in Remensi ullum fuit vestigium.

Idem bibliopegus pgg. 32—39 errore nescio quo reiecit post pg. 24, ut a v. IV, 4, 4 *auxilium* transeatur ad IV, 25, 14 illa *reges commemoras*, deinde finita f. 10 l. V, adiecta sint ea quae sunt media inter IV, 4, 4 et 25, 14.

Ceterum quamquam de hac re propter temporis summas angustias quaerere mihi non licuit, cum codicem tenerem manibus, apparet falli Bergerum cum dicit 38 paginas Phaedro describendo esse adhibitas, nisi fuit error illorum, qui eius librum typis expresserunt. Ipse enim prodit pg. 39 (eam nimirum quam Germani vocant 'seite') bis in codice esse numeratam et finiri fabulam ultimam cum fine pg. 77, quae debebat dici 78: nam ut ipse vidi, illa in aversa desinit pagina. Congruum autem est vitiosae computationi isti, quod in codice paginae illi, post quam iam sunt collocatae fabulae a IV, 25, 14 ad V, 10, adscriptus est numerus 47, qui debebat esse 48. Nam ut his etiam vidi oculis, est aversa pars folii quod vocant, non adversa. Quae cum ita sint, videntur

Phaedro describendo quinque fuisse destinati quaterniones a librario.

Ceterum numeri illi, adiecti ad eam partem codicis quo Phaedri continentur fabulae, non ad tractatum de monstris, videntur iam ante Pithoeum accessisse codici.

Inscriptiones fabularum singulae subiunguntur ultimis praecedentis verbis: ipsae fabulae numquam non a novo inde versu incohatae. Illae litteris maiusculis et rubris exaratae, hae minusculis eisdemque fuscis praeter initiales quae et ipsae sunt maiusculae et rubro colore sive violaceo.

Numerum versuum in singulis paginis quae vocantur 'seiten' nec indicavit Bergerus, contentus indicasse initia ac fines singularum, nec multum refert cognosse, cum Phaedri versus non sint distincti. Quantum fuerit perscriptum singulis ex hoc potest coniectari (nam magna ubique scripturae aequabilitas) quod altera continentur verba Phaedri ab illo *lacerat* 1, 1, 13 ad ea quae sunt *et explorato* 3, 18.

Interpungendi signa nulla addita praeter punctum quo interrogatio indicetur refert Bergerus. Puncta ad summam litteram praecedentem aut imam aut mediam addita, interdum cum virgula, nihil facere ad distinguendos sensus sed interdum diastolae fungi vice testatur idem: sane verba in codice saepe perperam iuncta aut divisa, ut plerumque factum aetate illa. Addit deinceps alliterationem non inveniri nisi rarissime et quidem in his verbis, ubi iam non admittatur, ut scriptum sit *ammonere, ammirans;* poni *sumtus* et similia omissa *p*; litteras *i* vel *j* et *l* in primis verbis ita esse similes ut distingui non possint, *e* satis saepe poni pro *i*, *b* pro *r*, *o* pro *u*. Ab eodem docemur compendia scripturae non extare fere nisi virgulam super vocalem collocatam pro *m*, aut ad duplicandas consonas (*m* et *n* nimirum) adhibitam, aut positam supra *e* pro *est;* deinde inveniri *q*. pro *que*, *:* pro *us* in dativis vel ablativis, *e* caudatum pro *ae*, praeterea vulgo nota illa, quibus reddi solent *per pro prae et*. Denique narrat idem codicem videri correctum, modo prospero Apolline, modo averso, ab eodem librario, atramento quidem paulo magis fusco quam quo idem in ipsis fabulis esset usus.

Remensis liber, cuius in fine addita erat Querolus, formae

quam vocant in octavo maiore, idemque membranaceus haud dubie, ut origine et aetate ita habitu et condicione simillimus fuit Pithoeani. Igitur etiam in illo vocabula saepe fuerunt distincta perperam; saepe sunt confusae *b* et *r*, *e* et *i*, *i* et *l*, *o* et *u*, pro *c* posita *qu*, ut in illis *quum loquutus qui* vel *qoi* vel adeo, si verum est, *quoi*. Alliterationis idem fere usus sive abusus qui in Pithoeano. Correcturae haud ita paucae, sed pleraeque, ut videtur, manus primae, quaedam tamen recentissimae.

Restat ut de pretio utriusque codicis referatur.

Itaque tenendum, interpolationes in eis reperiri nec multas et tales, quae facile possint deprehendi, versusque adeo suppositicios ferri pauculos. Contra satis frequentes orti sunt errores traiectis contra metrum verbis; neque id mirum. Nam ut omittam medii aevi librarios parum fuisse peritos metricae artis Phaedri, in libro, ex quo deducti sunt Pithoeanus et Remensis, versus non fuisse distinctos constat, ut specie non differrent a sermone pedestri.

Denique litterarum syllabarumque et adeo verborum ne graviores quidem corruptelae rarae sunt in libris Gallicis, cuius rei fuit causa partim imperitia librariorum, qui sermonis Latini parum fuerunt gnari, partim ipsius archetypi condicio, cuius verba locis sat multis parum videntur potuisse legi.

Iam sum disputaturus de libris Danielis et Perotti, quos iterum propriis impensis curavi conferendas. Contulit eos in meos usus circa finem a. 1874 Ludovicus Mendelssohnius, bonae spei iuvenis et Friderici Ritschelii praeceptis innutritus, pretiosissima cura et vix auro rependenda, quamquam idem mira neglegentia omisit carmina II, 7; IV, 21; neque indicem fabularum, qui in Vaticano codice perinde atque in Neapolitano ante prologum ad Pyrrhum datum est positus, describere sustinuit.

Igitur charta Danielis quae vocatur vulgo prostat in codice Vaticano 1616, qui olim fuit Christinae reginae.

Est is liber membranaceus formae quae dicitur in octavo; constat foliis 124; saeculo scriptus esse perhibetur XII. Continet pag. 1—16 tractatum Guidonis Augensis (vulgo vocant Arretinum) super musica, 17—18 fabulas quasdam Phaedri;

pag. 18 aversa parte oratio pia legitur, in sequentibus usque ad finem poema Gallico sermone scriptum exhibetur.

Vsi sunt eo Rigaltius, Nicolaus Heinsius, Gudius, denique nostro saeculo Angelus Maius, qui satis magna diligentia usus variantes huius libri lectiones publicavit in auctorum classicorum t. III.

Continet codex Danielis libri primi fabularum Phaedri octo fabulas, non plures, 11, 12, 13, 17, 18, 19, 20, 21, eodem, ut vides ordine, qui in libris Gallicis observatur. Primae ex his inscriptum est:

PHAEDRI·AVG·LIBER·I·AESOPRIARVM (non: AESOPIARVM) INCIP̄·FELICITER·

Septima nullo addito titulo neque intervallo dirempta iungitur sextae.

Etsi codex aliquanto est inferior Pithoeano et Remensi, tamen dolendum est, quod tam paucae in eo extant Phaedri fabulae. Nam egregiae aliquot suppeditantur eo lectiones, ut appareat eum ductum esse ex apographo, qui cum saepe expertus esset manus interpolatoris, quaedam servaret rectius et melius, quam membranae Gallicae.

Aliquanto accuratius est dicendum de codicis Perottini exemplo Vaticano, cum praesertim Angelus Maius in excerpendis eius lectionibus minime ea sit usus, qua decebat, diligentia; qui adeo earum Phaedri fabularum, quae extant in codicibus Pithoeano et Remensi, omnino nullam habuit curam.

Igitur cum codex Neapolitanus anthologiae Perottinae madore ita esset affectus, ut ex magna parte legi non posset, insigni accidit felicitate, ut eadem servaretur libro Vaticano, quondam Urbinate 368, membranaceo, paginis constante 188. Scriptus est saeculo XV finiente vel XVI ineunte in folio, quod aiunt, pulcherrime ab una manu ornatusque picturis. Est simillimus omnino libri Neapolitani, ut ab eodem utrumque fonte repetendum esse appareat. Dixit de ea accurate Angelus Maius auct. class. III, 278 sq.

Parti ei, in qua Phaedri sunt fabulae, mirifice disiectae illae ac turbatae, interpositis quippe passim carminibus Aviani

ac Perotti, inscriptum: Nicolai Perotti epigrammata et fabulae. Pertinet a pg. 100 ad 146, ita quidem, ut in initio sit locata epistula Perotti ad Mannum Viterbiensem, subiectus sit index, dein pg. 104 av. versus ad Pyrrhum, denique epigrammata et fabulae. Inter c. 66 et 68 interposita est epistula pedestri sermone scripta ad Dionysium Veronensem. Carmina ipsa numero 158. Ceterum de Perotti opusculis accuratius agi hoc loco non opus. Contra non videtur inutile indicare quo ordine se excipiant fabulae Phaedri in anthologia ista; quem tali iam habes expressum tabella:

| Cod. Per. | Ph. fab. | Cod. Per. | Ph. fab. |
|---|---|---|---|
| 1 | VI epil. | 73 | III, 15 |
| 2 | VI, 1 | 76 | III, 16 |
| 4 | IV, 23 | 78 | VI, 14 |
| 5 | VI, 2 | 83 | VI, 15 |
| 7 | VI, 3 | 86 | VI, 16 |
| 9 | III, 10 | 89 | VI, 17 |
| 11 | VI, 4, 1—22 | 91 | IV, 22 |
| 13 | III, 17 | 93 | VI, 18 |
| 15 | III, 18 | 95 | VI, 19 |
| 17 | VI, 23, 24 | 96 | VI, 20 |
| 18 | VI, 5 | 99 | VI, 21 |
| 20 | II, 8 | 101 | VI, 22 |
| 22 | III, 3 | 102 | VI, 23 |
| 25 | III, 11 | 103 | II, 6 |
| 27, 46b | III, 13 | 107 | III, 2 |
| 29 | IV, 25 | 108 | III, 1 |
| 31 | V, 5 | 109 | III, 4 |
| 33 | IV, 21 | 110 | III, 5 |
| 35 | II, 7 | 111 | III, 6 |
| 38 | III, 14 | 115 | III, 7 |
| 40 | VI, 6 | 118 | IV, 26 |
| 43 | VI, 7 | 120 | III, 19 |
| 45 | V, 1 | 123 | V, 2 |
| 49 | VI, 8 | 125 | V, 3 |
| 53 | VI, 9 | 126 | V, 4 |
| 55 | VI, 10 | 128 | VI, 24 |
| 57 | III, 8 | 130 | VI, 25 |
| 59 | III, 12 | 132 | VI, 26 |
| 61 | VI, 11 | 134 | VI, 27 |
| 64 | VI, 12 | 135 | VI, 28 |
| 66 | VI, 13 | 136 | VI, 29 |
| 71 | II epil. 1—4 | 137 | VI, 30 |

Praeterea hoc loco adscribam promythia fabularum libris Gallicis servatarum, qualia leguntur in libris Neap. vel Vat.

II, 6 potentibus non facile resisti posse; quod si nefarius consiliator accesserit, omnia pessum dari.
II, 7 de divitiis et paupertate.
II, 8 dominos in rebus suis videre plurimum.
II epil. ingenio et virtuti veram gloriam tribui.
III, 1 luxuriosos et sola luxuriae cogitatione delectari.
III, 2 non faciendam esse alicui iniuriam.
III, 3 ratione potius quam oraculis agendum.
III, 4 aspectu hominum saepe iudicium falli.
III, 5 male agentes processu temporis puniri.
III, 6 vanas minas sine virtute parum momenti habere.
III, 7 quam dulcis sit libertas.
III, 8 de speculo ab adolescentibus saepenumero adspiciendo.
III, 10 de fide non adhibenda temere et adhibenda opportune.
III, 11 haud insectandum esse fortunae vitium.
III, 12 contra eos qui res optimas non gustant.
III, 13 s. n. 27 ubi dubia est sententia astu utendum esse; s. 46b pulcher modus iudicandi.
III, 14 relaxandum esse interdum iocis et ludis animum.
III, 15 obstare saepe homines naturalibus legibus, meritis capi.
III, 16 non esse sponte alicui faciendam iniuriam; nam qui humanitati se non accommodat, plerumque poenas dat superbiae.
III, 17 nihil agendum esse quod non prosit.
III, 18 oportet omnes contentos esse sorte sua.
III, 19 in tanta mortalium multitudine paucos esse homines.
IV, 21 in avarum.
IV, 22 multum semper invidiae inter homines esse.
IV, 23 de Simonide poeta, et quod homo virtute et doctrina praeditus omnia sua secum habet.
IV, 25 neminem debere se exornare falsis laudibus.
IV, 26 quantum momenti habeat pietas et religio divina.
V, 1 quomodo saepe fallatur hominum iudicium.

V, 2 multos in rebus secundis fortes esse, qui in dubiis sunt timidi.
V, 3 his qui casu peccant dandam esse veniam, qui vero consulto delinquunt, eos esse puniendos.
V, 4 vitandum semper esse periculosum lucrum.
V, 5 pravo favore saepenumero homines labi.

His propositis apparet auctorem anthologiae, qua usus est Perottus, ubi promythiis epimythiisve a Phaedro perspicue esset expositum fabulae argumentum, satis habuisse eius verba pedestrem in sermonem redigere, ubi obscurior esset sensus, a proprio ingenio, quod quidem erat minime subtile, petisse auxilium explicandae fabulae.

Inscriptiones capitalibus litteris exaratas defuisse codici Perottino easque a Iannellio additas omnino constat. Docet id index Neapolitani, nec minus Vaticani libri testimonium, qui nullas habet carminum inscriptiones praeter eas quas supra apposui. In fabulis pridem notis satis habuit Iannellius repetere titulos, qui vulgo ferrentur in libris impressis; reliquos novavit ipse.

Ceterum non potest dubitari, quin plures, quam quas in suam rettulit anthologiam, Perotto praesto fuerint fabulae, nam quod legitur inter ipsius carmina tale (XXI):

Socrates exiguas aedes dum forte pararet,
e turba quidam talia verba refert:
quidnam tam parvas vir tantus construis aedes?
impleat has utinam verus amicus! ait;

quis non videt reddi ita fabulam eam, quam unam praetermisit ille ex libro tertio Phaedri? Simili paraphrasi usus idem alibi (c. XXXVII) Vergilii epitaphium invertit. Nec vero probabile est hominem poetarum veterum curiosissimum in una Phaedri fabula transferenda substitisse. De qua re eo magis monendum fuit, tandem ut intellegeretur, quod dicit in loco notissimo Cornuscopiae f. l. III 17 a se adulescente ex Avieno iambico carmine translatam, memoria quidem eum bis labi, sed nihilo minus constare de fabulis Phaedri ab eo in alia metra redactis, quo tempore carminibus pangendis dabat operam.

Restat una res memoria digna. etenim cum in epistula ad Mannum narret Perottus huius opera versiculos suos collectos et dispositos in libellum, in ea, quae data est ad Pyrrhum a semet ipso huius in usus collectas fabulas Aesopi Avienique et Phaedri, additis saepe versiculis propriis, diversa haec testimonia quo inter se concinnari possint pacto non video, nisi statuerimus syllogen Manni iterum a Perotto editam, adiectis ad epigrammata ipsius fabulis Phaedri et Aviani. Tamen ita res habeat an aliter, parum interest.

Iam etiamsi collatus denuo liber Perottinus Mendelssohnii curis parum profuit ad tollendas Phaedri fabularum corruptelas, multum tamen prodesse existimandus est poetae hanc ob causam, quod iam certo comprobatum est, ne in antiquis quidem Phaedri fabulis maiorem eius esse fidem, quam in eis, quas solus exhibet.

Ac primum quidem notamus, quod in dissertatione de Phaedri et Aviani fabulis scripta suspicari me dixi (pg. 14) appendicis Perottinae fabulae 30 v. 3 etiam Vaticanum codicem exhibere 'forte occurrit' pro 'forte occucurrit', id plane confirmari collatione Mendelssohniana.

Iam allaturus sum quasdam codicis Vaticani lectiones, excerptas illas ex libris Phaedri II et III, etiam his ut confirmetur anthologiam Perottinam, quamquam aptas aliquot et a fraude alienas praebet scripturas, quod quidem in tanta eorum qui Pithoeanum librum et Remensem exararunt imperitia ac socordia non est mirum, tamen ex maiore longe parte nihil suppeditare, quo iuvemur ad Phaedri verba restituenda, abundantem quippe et corruptelis ineptissimis et interpolationibus non minus absurdis, vix plus ut conferat Phaedro quam Tibullo excerpta gnomica. Ceterum utriusque vitii causae et origines plerumque tam sunt manifestae, aversis quod aiunt Musis natus esse ut sit existimandus, qui codicem Perottinum parem aut similem pretio libris Gallicis habuerit. Quod cum ita sit, apparet testimonia eius etiam ibi esse posthabenda, ubi lectiones, quae eo exhibentur, haud inferiores sint bonitate scripturis Pithoeani libri vel Remensis et adeo eis in locis, ubi haud dubie scripturae in eodem prostant meliores, eas potissimum esse recipiendas, quae vel sine mem-

branarum auctoritate essent probandae. Quam rem ut demonstrem, ex tribus vel quattuor fabulis petitas lectiones proprias anthologiae Perottinae recensebo omnes omissis solum eis, quae ad orthographiam spectant. Nam hanc in codice saeculi XV vel XVI aliquanto esse deteriorem, quam in libris IX vel X, quid est quod exemplis asseram? Ceterum archetypo anthologiae Perottinae hactenus convenit cum libris Gallicis, quod interdum in utrisque b et v litterae permutantur.

II, 6, 4, 5:

Aquila in sublime sustulit testudinem.
Quae cum abdidisset cornea corpus domo.

Apud Perottum pro 'quae cum abdidisset' legitur 'quaecumque abstulisset'.

Ib. 7, 8:

Venit per auras cornix et propter volans:
Opimam sane praedam rapuisti unguibus.

In libro Perottino traditum est: 'pretervolans'. Nimirum ignorabat, quisquis ita scripsit, 'propter' non minus quando adverbii est instar, quam ubi praepositionis vice fungitur, posse esse locale. V. 8 fertur sine metro 'opimam inquit praedam', omisso vocabulo gravissimo 'sane' et addito dicendi verbo, quod sexcenties omittit Phaedrus.

Ib. 11, 12:

Promissa parte suadet, ut scopulum super
Altis ab astris duram inlidat corticem.

In Perotti membrana haec sunt:

Promissa parte vadens ut scopulos super
Ab astris duram illidat monet corticem.

Quae equidem non timeo, ne quis praeferat lectioni librorum Gallicorum.

Ib. 15, 16:

Simul et magistrae large divisit dapem.
Sic tuta quae naturae fuerat munere.

Ap. Per. omissum est 'et', quia est supervacaneum; deinde ibidem neglecta caesura versus scriptum est 'fuerat naturae'.

II, 8, 1:

Cervus nemorosis excitatus latibulis.

In Perottino libro fertur:

Cervus nemorum exagitatus latibulis.

Id ἄμετρον esse apparet. Praeterea de fera ex latebris suis exturbata melius excitandi verbum adhiberi quam exagitandi quis ignorat?

Ib. 2 leg.:

Vt venatorum effugeret instantem necem,

pro 'fugeret,' minus eleganter sive metrum respexeris sive genus dicendi, cum Phaedrus, quamquam eius sermo pedestri orationi est propior, non minus quam reliqui poetae uti soleat simplicibus verbis pro compositis, eis nimirum locis, ubi nulla potest oriri sententiae ambiguitas.

Ib. 4:

Et opportuno se bovili condidit.

Haec verba in libris Gallicis hactenus sunt corrupta, ut pro 'se bovili' scriptum sit in Remensi 'bovili se', in Pithoeano 'bovile se'. Apud Perottum habes: 'et inter bubulos rustice (pro 'rustici') se condidit'.

Ib. 5:

Hic bos latenti: quidnam voluisti tibi.

In Perottino exemplari prostat, quod est barbarum: 'huic eo latenti'. In eodem v. 7 invenitur 'hominisque' minus recte pro 'hominumque', v. 10 'dein' pro 'diei'.

V. 8 recte legitur in Perotti libro 'vos' pro 'bos'.

Sequitur locus in omnibus libris corruptus. Nam v. 11 in codicibus Gallicis hoc habetur:

Frondem bubulcus adfert nec ideo videt;

in Perottino:

Frondem bubulcus affert; nihil videt.

Altera lectio cum non possit tolerari propter rationem metricam et quia aegre caremus obiecto, recte videntur rem instituisse, qui utroque testimonio coniuncto scriberent:

Frondem bubulcus adfert; nil ideo videt.

Ibi 'ideo' dictum est brevius pro 'quia adferebat frondem'.

In asyndeto, quo haud raro utitur Phaedrus, nihil est quod reprehendas.

Ib. 13:

Nemo animadvertit: transit etiam vilicus.

Pro 'animadvertit' contra metrum legitur 'eum advertit'.

Ib. 14:

Nec ille quicquam sentit. Tum gaudens ferus.

Pro 'ferus', quo vocabulo saepius utitur Phaedrus, etiam (I, 12, 9) ubi cervi fit mentio, in Perotti codice est 'cervus', interpolatione inepta eademque manifesta.

Ib. 16, 17:

Hospitium adverso quod praestiterint tempore.
Respondit unus: salvum te cupimus quidem.

Apud Perottum est: 'quia praestarent' et 'salvum te volumus'.

Ib. v. 19, quo carere nullo pacto possumus, deest in anthol. Perottina.

Denique in fine fabulae haec feruntur vulgo:

Praedamque tollit. Haec significat fabula,
Dominum videre plurimum in rebus suis.

Apud Perottum eadem in unum versum contracta sunt ita:

Praedamque tollit, quam paraverat casus.

Notum est ab eo omitti paene omnia promythia vel epimythia. Quae in huius fabulae exitu apud eum leguntur aliena a libris Gallicis, ea quin ab ipso sint interpolata ad trimetrum iambicum qualemcumque conflandum, non potest dubitari. Nam quam egregia arte usus sit homo in versibus iambicis pangendis, mox videbimus.

II, Epil. 1, 2:

Aesopi ingenio statuam posuere Attici,
Servumque collocarunt aeterna in basi.

Initio huius carminis Perottino codice confirmatur egregia Gudii coniectura, qui scripsit: 'Aesopi ingenio' pro 'Aesopi ingentem', sive 'Aesopo ingentem': e quibus lectionibus altera est in Remensi libro, altera in Pitheoano, in quo tamen videri prius fuisse 'Aesopi ingento' testatur Bergerus.

In secundo versu quod habes apud Perottum 'aeternae basi', minus bonum est.

Piget paene longius tempus terere in scripturis anthologiae Perottinae aestimandis; sed ne defuisse promisso videar, ex 7 libri III carmine afferam varietates lectionis maxime notabiles.

V. 2—4:

Cani perpasto macie confectus lupus
Forte occucurrit. Dein salutatum invicem
Vt restiterunt: unde sic, quaeso, nites?

Pro 'confectus' apud Perottum est: 'coniunctus'. Deinde in omnibus pariter libris legitur vitiose: 'forte occurrit'. Tum in membranis Gallicis fertur: 'salutantes', in Perottina melius paullo 'salutati'. Recte enim arbitror ab Orellio scribi 'salutatum', cum sit notum, si addatur 'invicem' vel 'inter se' vel 'mutuo', omitti pronominis reflexivi casum quartum. Denique pro 'nites', quod verbum aptissimum est, ubi agitur de bestia perpasta, ut Phaedrus dicit, in anthologia nostra legitur 'vires'.

Ib. 8:

Canis simpliciter: eadem est condicio tibi.

Apud Perottum legimus: 'eadem condicio est tibi'.

Ib. 9:

Quod? inquit ille. Custos ut sis liminis.

In cod. Perott. rursus ἀμέτρως:

Quale? inquit ille. Custos si fueris liminis.

Ib. in v. 10 omissum est 'et', v. 14 legitur 'sociari' pro 'satiari'.

Ib. 17:

Vnde hoc, amice? Nil est. Dic, quaeso, tamen.

Pro 'quaeso' legitur apud Perottum 'sodes', quo vocabulo non memini uti Phaedrum, nisi in appendicis 9, 5, ubi positum est in oratione Veneris ad gallinam.

Ib. 22:

Dat ossa dominus, frusta iactant familia.

In codd. Pithoeano et Remensi traditum est 'iactat', apud Perottum 'frustra iactant famuli'. Recte docti: 'frusta iactant familia', ut III, 10, 24:

Dum quaerunt lumen, dum concursant familia,

ubi in Perottino libro est 'concursat'.

Denique ultimi versus in anthologia nostra perscripti sunt ita:

Age, si quo abire vis, est licentia?
Non plane est, inquit. Fruere his, quae laudas, canis.
Regnare nolo, nisi libertatem habeam.

Quae quantum discedunt a scripturis codicum Gallicorum, tantum a Phaedri verbis differre apparet. Nam in illis excepto quod legitur: 'siquo est abire', omnia emendatissime perscripta sunt ita:

Age, abire siquo est animus, est licentia?
Non plane est, inquit. Fruere, quae laudas, canis:
Regnare nolo, liber ut non sim mihi.

Cur ultima verba tam audacter interpolarentur in cod. Perott., haec fuit causa, quod 'ut' in eis positum est usu sane minime infrequenti pro 'hoc pacto, ut'.

Quod in anthologia Perottina nonnulli desunt versus, qui prostant in libris Gallicis, manifestum est, eos esse omissos partim quia necessarii esse non videbantur, partim errore et levitate sive ipsius Perotti sive librarii eius codicis, ex quo anthologiam suam deprompsit. Itaque ad suspectandum versum c. 22 l. IV 8:

Erat autem, ut aiunt, natus in Cia insula

parum valet, quod omissus est in exemplo Perotti, quamquam aliae sunt causae, cur eum suppositicium esse satis sit probabile.

Denique versus pauculi qui prorsus diverso modo perscripti sunt in Perottino libro atque in Gallicis, cum plerumque interpolationis indiciis teneantur manifestis, satis facile aio posse definiri, utrum ab ipso Perotto an a librario codicis, ex quo sumpsit sua, sint depravati. Quod ut demonstrem, paucis est dicendum de metricis rationibus propriorum Perotti carminum. Nempe Perottus, quem docti haud pauci crediderunt fuisse auctorem harum fabularum, tam fuit ignarus artis versuum iambicorum, ut neglectis omnino quantitatibus syllabarum faceret rhythmicos, soluta nimirum numquam arsi,

caesura ut plurimum post tertiam arsim collocata, facta plerumque elisione finalis, si proximum vocabulum inciperet a vocali, interdum per synizesim i vocali mutata in consonam. Cuius rei in exemplum satis erit attulisse prologum, quem ille anthologiae, datae ad Pyrrhum Perottum, fratris filium adulescentem, in fronte collocavit. Is igitur in Vaticano libro, si levia quaedam exceperis, legitur talis:

Non sunt hi mei, quos putas, versiculi,
Sed Aesopi sunt et Avieni et Phaedri;
Quos collegi, ut essent, Pyrrhe, utiles tibi,
Tuaque causa legeret posteritas,
Quas edidissent viri docti fabulas,
Honori et meritis dicans illos tuis,
Saepe versiculos interponens meos,
Quasdam tuis quasi insidias auribus.
Solet quippe iuvare ista varietas.
Hos si leges laetabor; sin autem minus
Habebunt certe, quo se oblectent posteri.
Nunc fabularum cur sit inventum genus,
Brevi docebo. Servitus obnoxia,
Quia quae volebat non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas transtulit,
Calumniamque fictis elusit iocis.
Redeo unde discessi ad libellum meum.
Hunc obtrectare si volet malignitas,
Imitari dum non possit, obtrectet licet.
Mihi magna laus est, quod tu, quod similes tui
Labores libenter legant usque meos,
Dignosque longa iudicent memoria.
Semper fugatae plus vetustati favet
Invidia mordax quam bonis praesentibus.

In his quicumque inveniuntur versus boni et quales veteres Romani facere sunt soliti, ad unum omnes sunt ducti ex Phaedri fabulis: reliqui ad eas leges sunt conscripti, quas supra indicavi. Isdem plane rhythmis constat eiusdem Ribbeckii Sipontini carmen ad Contrarium, quod cui libuerit inveniet praef. ed. Orellianae pg. 23.

Quae cum ita sint, non potest dubitari, quin ipsius Perotti ingenio, non eius qui scripsit codicem, unde excerpsit sua, debeantur versus tales (II, 8, 27; IV, 22, 1, 3; append. 15, 15; 30, 11):

Praedamque tollit, quam paraverat casus.
Heu quantus est semper mortalium livor!
Sunt qui quidquid putant dignum memoria.
Aliis minare, inquit, me non falles certe.
Non sum in campo par tibi, sed sum sub dio.

In his igitur et similibus haud paucis emendandis oleum et operam perdet, qui lectiones codicis Perottini magni fecerit, cum appareat a Perotto, partim ut suis rationibus verba Phaedri accommodaret, partim quia corrupto utebatur codice, versus Phaedri prorsus esse immutatos propriisque adaptatos rhythmis.

Contra quod III, 10, 39 pro lectione vulgata:

A divo Augusto tunc petiere iudices

talis extat versus in codice Perottino:

Pontificem maximum rogarunt iudices,

cum is sit minime rhythmicus, soluta adeo in primo pede arsi, confirmatur opinio Rothii, qui eum a Perotto venisse negat.

Praeterea quod dicit Orellius, in oppido Duacensi extare codicem Phaedri fabularum, deceptus est ut multi alii Haeneliani libri, cui inscriptum est 'catalogi manuscriptorum', testimonio. Non enim Phaedri sed poetae eius, qui metro elegiaco multas Romuli sylloges fabulas perscripsit (vulgo anonymum vocant Neveleti), eo exhibentur carmina. Notum est haud ita raro Phaedri scripta confusa cum paraphrastarum.

Denique ad restituendas Phaedri fabulas aliquid conferre paraphrases pedestres, medio aevo factas, iam in opusculo eo, quo de Phaedri et Aviani fabulis egi, satis est dictum. Hoc tamen subsidio caute esse utendum, neque multum nos eo iuvari, etiam atque etiam est monendum.

Ceterum in eo adhibendo si non magnam, aliquam certe utilitatem attulit opusculum Oesterleii de quo dixi in libello quo de Phaedri et Aviani fabulis disserui (pg. 9). Sane id

conscriptum cum eo artis critica contemptu et cum ea rerum, quas discere oportet hominem, antequam docere conetur alios, ignorantia, quae pridem solent esse propria librorum de poetis latinis scriptorum, Berolini quae prodeunt.

Mirum poterit videri nonnullis, quod tam prolixe dixerim de codicibus Phaedri, argumento satis tenui et quod saepe tractatum sit ab aliis. Sed enim intererat horum studiorum, ut tandem aliquando de illis quam plenissime referretur et accuratissime. Quid enim mirum vel hodię in aestimandis Phaedri codicibus errare multos, cum ipse Bentleius, criticus longe sagacissimus, haud raro peccarit in re eadem? Qui, si melius habuisset perspectum, qua quaeque in Phaedri fabulis scriptura niteretur auctoritate et fide, aliquanto plus eis fuit profuturus, quam profuisse est existimandus.

Equidem studui de Pithoeano et Remensi ac Danielis codicibus referre quam accuratissime, non maiore negotio ut posset cognosci, quid notassent ex eis docti quam quid non notassent. In anthologia Perottina satis visum est plerumque Vaticani libri memorare scripturas, ut qui et integer magis multo esset Neapolitano et aliquanto diligentius collatus. Ex Neapolitano quae notantur, cum codicis Perottini editione, quam publicavit Iannellius a. 1809, et dissertationibus eiusdem tribus, quae prodierunt a. 1811, per breve admodum tempus uti licuerit, plerumque ex Orellii, qui satis accuratam Phaedro navavit operam, editione sunt petita. Ex eadem vel ex Schwabii sunt ducta, quae excerpta legis ex fabulis anonymi Nilantiani.

Notis usus sum simplicissimis et plerumque isdem quibus Orellius. Sunt autem hae:

| | |
|---|---|
| *P* | codex Pithoeanus. |
| *B* | Bergerus; item expressa in ed. Bergeri de quibus videatur posse dubitari. |
| *R* | cod. Remensis. |
| *Rg* | eiusdem collatio Gudiana. |
| *Rr* | eiusdem collatio Rigaltiana. |
| *D* | cod. Danielis. |
| *N* | cod. Neapolitanus. |
| *V* | cod. Vaticanus. |
| *M* | Lucianus Mueller. |
| *p* | Petrus Pithoeus. |

Ceterum apparet, in emendandis Phaedri scriptis quamquam cum cura maxima erant colligenda omnia, quae a libris manuscriptis peti possent auxilia, multo tamen plura esse repetenda a ratione et iudicio. in quavis pagina saepius ut firmetur, quam vere moneamur a Richardo Bentleio, summo illo Phaedri poematum existimatore, in praefatione editionis Horatii, ne solos veneremur librarios utque per nos sapere audeamus. Itaque non poterit esse mirum, quod in hac recensione plura adeo quam in Bentlei, reperientur diversa a scriptura tradita.

De editionibus Phaedri quoniam cum cura disserui pg. 22, 3, 4, libelli mei hic paucissima adicienda sunt. Earum, ut fit in scriptore scholarum usibus trito, cum numerus prope sit infinitus, tamen hic ut plerumque verissimum expertus sum illud 'πολλοὶ μὲν δὴ θυρσοφόροι, παῦροι δέ τε βάκχοι'. Igitur sicut in Horatio tractando vix quemquam respicere solemus nisi Bentleium Perleampiumque et Meinekium, ita in Phaedro praeter eos quos nominavi loco quem attuli, paucorum mihi commoditatem attulere curae.

Bentleius cur rarius memoretur quam expectes ea est causa, quod haud pauca eius inventa praeceperant alii, ex parte ipsi incogniti. Perottus, Bongarsius, Rittershusius, Heinsius, quodque non minor eius fuit laus in recipiendis ac tutandis lectionibus eis, quae cum verae essent iacuissent, quam in reperiendis novis.

Inter Germanos primus, si Bothium exceperis, iudicio in recensendo Phaedro ausus est uti Eyssenhardtius noster, qui plus etiam laudis fuit habiturus, nisi Mauricii Hauptii, Professoris Berolinensis ante aliquot annos defuncti et magnae etiamnunc inter Berolinenses auctoritatis, coniecturis quibusdam ineptis et alienis a Phaedro tribuisset nimium. Sed ut mittam summum illum, si Muellenhoffiis credis et Momsenis, poetarum latinorum arbitrum, Eyssenhardtium iudicandi libertate aequavit Eckseinius. De nonnullis Phaedri versibus nuper haud inscite egit Zornius in actis gymn. Bavaricorum, pgg. 1—7 part. XI; de aliis Spengelius philol. XXXIII 722—727, ut tamen hunc virum, doctum alioquin et diligentem, non multum Phaedro profuisse existimem.

Sed iam de huius editionis disserendum rationibus.

Multorum libri auctorum cum extent nostris curis perpoliti, nullus tamen est, in quo tam prope ad ipsa scriptoris verba accessisse me confidam quam in his quas manibus tenes fabulis Phaedri. Quod cum ita sit, apparet multum distare hanc recensionem a Lucilii saturarum, cuius longe aliae sunt virtutes.

Iam cum saepe sciscitati sint amici, quonam tandem pacto fieret, ut crisis quam factitamus genus tanto distaret intervallo ab Hauptii quanto a Ribbeckii, eius rei breviter reddam rationes.

Equidem numquam legi scripta veterum eo consilio, ut emendarem aut explicarem, sed ad oblectandum otium et expeditis curis eoque iucundo animi pariter et corporis habitu, sine quo opus arte conficiendum nullo pacto potest ad bonum perduci exitum.

Sed volventi mihi ista ac revolventi primum solet oriri coniecturarum et observationum numerus haud spernendus, deinde liber quem lego ita se insinuat in animum, ut totum fere teneam memoria. Qui ubi est dignus visus curis nostris, aptusque qui nova instauretur recensione, iam quaecumque extant subsidia ad emendandum vel explicandum opus idonea circumspicere soleo. Qua in opera ita fere versamur, ut perinde abstineamus a servili criticorum vel membranarum veneratione atque a levitate non minus indigna existimatore ingenuo, quae contemptis hisce sibi sola videtur sapere. Ceterum cum et id opus, quod edendum est, paene totum inhaereat memoriae, nec minus succurrant plurima, quae mihi, multa legenti, multa audienti, ad rem nostram offerantur idonea, non poterit, esse mirum, quod tam raro a nobis prolata sunt ea, quae aut a dicendi genere aut a metrica arte auctoris, quem tractaremus, essent aliena.

Nec vero per superbiam fit illud, ut rarius memorentur a nobis coniecturae hominum doctorum praeter eas, quae in ipsa verba scriptoris sint receptae. Nam quod vulgo modesti esse animi asserunt, etiam aliorum opinionibus aliquid concedere spatii, ego potius levitatis aut impotentiae esse existimo. Etenim apparet in singulis scriptorum locis non posse

esse veras lectiones nisi singulas, excepto ubi eiusdem libri duplicem recensionem eamque ab ipso auctore factam habemus traditam. Iam cum plerique omnes loci mendosi scriptorum veterum aut tam leviter sint affecti, ut eos certo remedio liceat sanare critico, modo sit doctus ac diligens idemque subtilis, aut tam graviter, ut non duae aut tres, sed decem aut plures, perinde dubias quidem illas, possis inire vias vitii curandi vel potius dissimulandi, non iam poterit esse mirum, quod in notis editionum nostrarum haud ita saepe memorantur aliorum criticorum commenta praeter ea quae discrimine omni vacant.

Accedit aliud. Nimirum qui sese volunt haberi criticos hoc nomine dignos, quid aliud poterunt studere in edendo libro, nisi ut auctoris talis prorsus reddatur species, qualem ipsi informarunt animo? Quod cum ita sit, apparet non posse memorari, nedum probari doctorum commenta praeter ea quae formae illi ad normam modo propositam exactae omnino sint apta et congrua.

Ceterum in Phaedri fabulis, quo est brevior, eo labor mihi fuit expeditior.

His expositis restat, ut de orthographicis recensionis huius rationibus disseratur.

Igitur ut omittam *est* truncatum et illa *anthac, semanimus, benficium* vel siqua alia diverso a traditione codicum modo metri gratia perscripta sunt, tenendum nos in scriptura verborum constituenda plerumque secutos esse codices Pithoeanum ac Remensem. Iam quia constat in eis plerumque assimilationem quam vocant praepositionum omissam, de hac re hic monuisse satis erit, cum praesertim appareat nec Vincentium nec Bergerum in adnotandis minutiis talibus satis fuisse diligentes et constantes. Praeterea non memoravi exceptis locis paucis, ubi essent *e* et *ae* confusa in membranis istis, nec magis adnotavi, ubi *quum* esset traditum in libro Remensi.

In appendice Perottina eadem fere scriptura verborum qua in reliquis fabulis sum usus, additis, ubi conducere videretur, codicis Vaticani lectionibus.

# CAPVT III.

## DE FABVLIS, EX PEDESTRI SERMONE TRANSLATIS IN VERSVS.

In libello de Phaedri et Aviani fabulis indicatum erat (pg. 18) in pedestribus syllogis fabularum, quae sub Romuli et anonymi Wissenburgensis vel Nilantiani nomine feruntur, videri exstare viginti fere fabulas Phaedri, codicibus eius non servatas, et simul (pg. 20 sq.) proposita exempla tria in versus rursus translatarum, quoniam prioris aetatis criticos eandem rem parum prospero Apolline temptasse mihi erat persuasum. Itaque, ut rem inceptam peragerem, ipsis Saturnalibus anni MDCCCLXXIV, quo tempore plerique positis negotiis ac solutis animis solemus repuerascere, consilium cepi scriptori puerorum usibus multum tractato reddendi, quantum posset fieri, ea quae temporum iniuria perdiderat. Nempe in fabulis istis, quas iam senariis iambicis, eadem metri licentia, qua ipse Phaedrus utitur, admissa sum propositurus, nulla est, quae indigna omnino sit Phaedro, et adeo haud paucae, quae vulgatis eius carminibus plerisque aliquanto videantur esse praestantiores, ut II, III, IV, VII, IX, XII, XV, XIX. Ac primum haud dubie locum tenent de Androclo et de hominibus duobus in simiorum terram delatis opuscula. Et in illo quidem maiores nobis sumendi fuere spiritus. Alterum cum summa suavitate in mentem revocat epigramma, quod olim lusi de morte Socratis:

Cui primum patuit sapientia, nempe venenum
Hausit: erat nimium vera docere nefas;

nec minus (si modo parva cum magnis componi fas est) quae ipsi perpessi sumus a philologis nonnullis, dum nimio veri tenemur studio. Quae cum ita sint, carmina haec in appendice editionis stereotypae Phaedri, quae Lipsiae prodiit apud Teubnerum, denuo curabo in tempore excudenda; quo loco ante legi solebant hae ipsae fabulae cum aliis multis, Phaedro parum dignis aut utique alienis, a Gudio Burmanno Dresslero in versus coactae pessimos, quas quidem ego primum

honore, quem iniuria obtinebant, depuli. Tamen, ne iniquius videar iudicasse de his viris, profiteor eosdem excepto quidem Dresslero, qui vix quidquam profecit, ut erant satis imbuti lectione Phaedri, quaedam protulisse minime inficeta et potuisse promere multo plura, nisi nimia metrorum obstitisset imperitia. Qui ubi versus aut particulas versuum praebebant tales, ut Phaedrus, si ab inferis resurgeret, certe aliquam indolis suae speciem in eis posset agnoscere, horum inventa servavi neque inani invertendi ea, quae proba erant, abreptus sum gloriola. Attamen, ne nimis multa me ab eis existimes mutuatum, adscribam fabellam de ovibus et lupis, qualis legitur apud Dresslerum (app. II, 20):

Oves lupique cum certassent proelio,
Illae vicerunt tutae praesidio canum.
Lupi legatos miserunt pacem sibi
Lege hac petentes, ut oves dederent canes
Et obsides luporum catulos reciperent.
Oves aeterna sic sperantes foedera
Sese iuncturas, fecerunt, quod petierant.
Post paulo cum coepissent ululare catuli,
Lupi, vexari caussantes natos suos
Pacemque ruptam ab ovibus, undique impetu
Invadunt facto nudas defensoribus;
Fidem quae stultae quod habuerant hostibus,
Consilium sera damnant poenitentia.
Praesidium, quo quis olim tutus vixerat,
Si tradat aliis, frustra post desiderat.

Hoc carmen cum sit inter meliora ex eis, quae in appendicibus II et III leguntur apud Dresslerum, facile, ut puto, sentient periti, quantum a Phaedri arte discrepent deteriora.

Ceterum praeter numerorum modulos in ipsa narratione multa fuerunt mutanda, ut quae satis verbosa plerumque et elumbis, magisque paraphrastis Phaedri, per medium aevum qui fuerunt, quam ipso Phaedro esset digna. Nec derat ubi aut promythia aut epimythia aliter instituenda esse viderentur, cum priores haud raro argumenta fabularum parum perspexissent. Praeterea de Androclo fabulam ex Gellii V, 14 correximus et supplevimus.

Deinceps addidi tres fabulas a me suppletas: IV, 14; V, 1; app. Per. 16.

In fine opusculi adiecta sunt promythia sive epimythia fabularum appendicis Perottinae XIV, quae apud Perottum leguntur pedestrem in sermonem soluta, apud Dresslerum contorta in versus parum sonoros. Reliqua eiusdem Perotti argumenta cur timuerim in versus redigere, accuratius rem inspicientibus facile apparebit.

Ceterum rationes opellae huius, breviter nunc adumbratas, siquis plene voluerit cognoscere, legat libelli quem supra memoravi paginas 18—22.

Et omnia quidem ad summam Phaedri dictionis et metrorum exacta similitudinem, cito apparebit. Ipsi viderint docti, num simplicitatem narrandi et suavitatem, quam in nonnullis eiusdem admiramur opusculis, nobis licuerit adsequi.

Inscriptiones carminum feci tales, quae similes essent eis, quibus monachi medii aevi Phaedri instruxerunt fabulas. Earum quaedam adeo sunt adsumptae ex codice Wissemburgensi.

Denique cur ausus sim vespertilionis vocabulum correpta adhibere tertia, ex eis quae dixi l. d. r. m. pg. 353 apparebit.

# PHAEDRI

# FABVLARVM AESOPIARVM

## LIBRI QVINQVE.

## TESTIMONIA DE PHAEDRO.

Mart. Epigr. III, 20, 5:

An aemulatur inprobi iocos Phaedri?

Avianus epistula ad Theodosium:

Verum has pro exemplo fabulas et Socrates divinis operibus indidit et poematis suis Flaccus aptavit, quod in se sub iocorum communium specie vitae argumenta contineant. quas Graecis iambis Babrius repetens in duo volumina coartavit. Phaedrus etiam partem aliquam quinque in libellos resolvit.

Idem intra:

Loqui vero arbores, feras cum hominibus gemere etc. Respexit ad I prol. 6.

Prudentius Cath. VII, 115:

Alvi capacis vivus hauritur specu. Respexit ad IV, 6, 10.

Titulus qui legitur apud Gruterum pg. 898, 16, versu quodam Phaedri [III, 17, 12] celeber ille, valde suspectus [conf. Ritschel. Anthol. Lat. Coroll. pg. 13].

PHAEDRI

[AVGVSTI LIBERTI]

# FABVLARVM AESOPIARVM

## LIBER PRIMVS.

### [PHAEDRVS.]

Aesopus auctor quam materiam repperit,
Hanc ego polivi versibus senariis.
Duplex libelli dos est: quod risum movet
Et quod prudenti vitam consilio monet.
Calumniari siquis autem voluerit,
Quod arbores loquantur, non tantum ferae,
Fictis iocari nos meminerit fabulis.

### I.
### [LVPVS ET AGNVS.]

Ad rivum eundem lupus et agnus venerant
Siti conpulsi; superior stabat lupus
Longeque inferior agnus. Tunc fauce inproba
Latro incitatus iurgii causam intulit.
Quur, inquit, turbulentam fecisti mihi
Aquam bibenti? Laniger contra timens:

LIBER FABVLARVM (*'haec duo verba manu imperitiore, magnis litteris nigroque atramento scripta sunt' B*). FEDRI AVGVSTI LIBERTI LIB (*sic, ut videtur*) FABVLARV (*sic*) *P*. *Etiam in R videtur fuisse:* Phaedri Augusti liberti liber fabularum (*vel* f. primus). Augusti liberti *secl. M*. Phaedrus *add. M, vulgo inscr.* Prologus. 1 repperit *P*. 2 senariis *p*. senareis *P*. 3 dos *Rr*. os *addita posterius in P*. 4 prudenti *Bongarsius*, prudentis *Pr*.

I, 3 fauce *Rr, anon. Nil.*, face *P*. improba *B*, *Rr*. 5 quur *P*. fecisti mihi *an. Nil., Rigaltius teste Zellio*, mihi fecisti *P*.

Qui possum, quaeso, facere, quod quereris, lupe?
A te decurrit ad meos haustus liquor.
Repulsus ille veritatis viribus:
Ante hos sex menses male, ait, dixisti mihi.
Respondit agnus: equidem natus non eram,
Pater hercle tuus ibi, inquit, maledixit mihi.
Atque ita correptum lacerat iniusta nece.
  Haec propter illos scriptast homines fabula,
Qui fictis causis innocentes opprimunt.

## II.

### RANAE REGEM PETIERVNT.

  Athenae cum florerent aequis legibus,
Procax libertas civitatem miscuit
Frenumque solvit pristinum licentia.
Hic conspiratis factionum partibus
Arcem tyrannus occupat Pisistratus.
Cum tristem servitutem flerent Attici,
(Non quia crudelis ille, sed quoniam gravest
Omne insuetis onus) et coepissent queri,
Aesopus talem tum fabellam rettulit.
  Ranae vagantes liberis paludibus
Clamore magno regem petiere a Iove,
Qui dissolutos mores vi conpesceret.
Pater deorum risit atque illis dedit
Parvum tigillum, missum quod subito vadis
Motu sonoque terruit pavidum genus.
Hoc mersum limo cum lateret diutius,
Forte una tacite profert ec stagno caput

7 quereris *p*, queris *P*, *Rg*. 10 male, ait, *Gudius*. ait male *P*, *Rg*. 12 hercle *P*. ibi *add. Langenius m. Rhen. XIII*. 201.

II, 4 hĭc *P Rg*, hinc *p*. 7 gravest *M*, gravis *PR*. 8 omne *Heinsius*, omnino *P et ut vid. R*. onus et *p*. onus e *mut. in* onus ē et *P*, insueti sonus *ut vid. R*, *in quo utrum* est *sit an* est et *non satis const*. 11 petere *m. pr. P*. 12 vi *p*, ut *P Rg*. 14 vadis *p*, vadi *PR*. 16 lateret *Schwabius*, iaceret *PR*. immersae laterent *Bentl. ex an. Nil.*, *apud quem legitur* mersae limo quum laterent diutius. 17 tacete *P m. pr* ec *M*, e *r*.

Et explorato rege cunctas evocat.
Illae timore posito certatim adnatant
Lignumque supera turba petulans insilit.
Quod cum inquinassent omni contumelia,
Alium rogantes regem misere ad Iovem,
Inutilis quoniam esset qui fuerat datus.
Tum misit illis hydrum, qui dente aspero
Corripere coepit singulas. Frustra necem
Fugitant inertes, vocem praecludit metus.
Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Iovem,
Adflictis ut succurrat. Tunc contra deus:
Quia noluistis vestrum ferre, inquit, bonum,
Malum perferte. — Vos quoque, o cives, ait,
Hoc sustinete, maius ne veniat, malum.

## III.

### [GRACVLVS SVPERBVS ET PAVO.]

Ne gloriari libeat alienis bonis
Suoque potius habitu vitam degere,
Aesopus nobis hoc exemplum prodidit.
Tumens inani graculus superbia
Pennas pavoni quae deciderant sustulit
Seque exornavit. Deinde contemnens suos
Se miscuit pavonum formoso gregi.
Illi inpudenti pennas eripiunt avi
Fugantque rostris. Male mulcatus graculus
Redire maerens coepit ad proprium genus;
A quo repulsus tristem sustinuit notam.
Tum quidam ex illis, quos prius despexerat:
Contentus nostris si fuisses vestibus
Et quod natura dederat voluisses pati,

---

20 supera *M*, super *PRg*, supra *r*. 23 quod iam *Zornius;* quod *Heinsius*. 20 fugitant *P*, *an. Nil.*, fugiant *Rg*. 30 o cives *Bongarsius*, cives *P*.

III. *inscr.* Gragulus *P*. 2 suo quin *Bentl.*, suis quin (bonis) *an. Nil.* 4 gragulus *P*. 7 se miscuit *Burmannus*, se miscuit *an. Wissemb.*, miscuit se *an. Nil.*, immiscuit se *PR*. 9 mulcatus *Rg*, multatus *P*. 10 merens *P*. 11 notam *m. pr. P*, *mut. in* notitiam. 13 vestibus *Nereletus*, coetibus *Heins.*, sedibus *PRg*, *an. Wiss.*, *Nil.; Rom.* si tuas vestes amasses.

Nec illam expertus esses contumeliam,
Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas.

## IV.

### [CANIS PER FLVVIVM CARNEM FERENS.]

Amittit merito proprium qui alienum adpetit.
Canis per flumen carnem cum ferret natans,
Lympharum in speculo vidit simulacrum suum,
Aliamque praedam ab altero ferri putans
Eripere voluit: verum decepta aviditas
Et quem tenebat ore dimisit cibum
Nec quem petebat potuit adeo adtingere.

## V.

### [VACCA, CAPELLA, OVIS ET LEO.]

Numquamst fidelis cum potenti societas:
Testatur haec fabella propositum meum.
Vacca et capella et patiens ovis iniuriae
Socii fuere cum leone in saltibus.
Hi cum cepissent cervum vasti corporis,
Sic est locutus partibus factis leo:
Ego primam tollo, nominor quoniam leo;
Secundam, quia sum socius, tribuetis mihi;
Tum, quia plus valeo, me sequetur tertia:
Malo adficietur, siquis quartam tetigerit.
Sic totam praedam sola inprobitas abstulit.

## VI.

### [RANAE AD SOLEM.]

Vicini furis celebres vidit nuptias
Aesopus et continuo narrare incipit:

IV, 2 canis cum flumen transiret (*prius* transit) *Wiss.*, dum *PR*. 4 ab altero *Cuninghamius*, ab alio *PR*. alteramque pr. ab altero f. *an. Nil.*; ab alio cane *Bentl.* 7 potuit adeo *Rigaltius*, adeo potuit *P et ut vid. R*; potuit ideo *Gruncrus*.

V *inscr.* vacca et capella *PR*. 1 numquam *B*. potenti *Harius*, potente *edd.* 5 cepissent *r*, coepissent *P*. 7 quoniam *Cuninghamius*, quia *edd.* 8 socius *Withofius*, fortis *edd.*; quia fortior sum vobis *an. Wiss.* 10 male accipietur *Bentl.*, *fortasse* male adfligetur.

Vxorem quondam Sol cum vellet ducere,
Clamorem ranae sustulere ad sidera.
Convitio permotus quaerit Iuppiter
Causam querelae. Quaedam tum stagni incola:
Nunc, inquit, omnes unus exurit lacus
Cogitque miseras arida sede emori.
Quidnam futurumst, si crearit liberos?

## VII.

### [VVLPIS AD PERSONAM TRAGICAM.]

Personam tragicam forte vulpes viderat:
O quanta species, inquit, cerebrum non habet!
Hoc illis dictumst, quibus honorem et gloriam
Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

## VIII.

### [LVPVS ET GRVIS.]

Qui pretium meriti ab inprobis desiderat,
Bis peccat: primum quoniam indignos adiuvat;
Impune abire deinde quia iam non potest.
Os devoratum fauce cum haereret lupi,
Magno dolore victus coepit singulos
Inlicere pretio, ut illud extraherent malum.
Tandem persuasast iure iurando gruis,
Gulaeque credens colli longitudinem
Periculosam fecit medicinam lupo.
Pro quo cum pactum flagitaret praemium:

VI, 3 sol cum vellet *Rr, P. ut vid., a pr. m., an. Wiss.*, solem velle *P m. sec.* 4 rane *P.* '*tres priores litterae huius vocis atramenti gutta obductae sunt*' *B.* 5 com vitio *factum ex* cum vitio *P.* 6 quaerelae *P.* '*ex correctione statim facta. primo videtur fuisse:* quaerere' *B.* habi incola; 'habi *videtur initium glossae:* habitans' *B.* 8 cogetque *PR, corr. p.* 9 crearit *p*, crearet *P. in R videtur fuisse* crearet; *cf. not. Vincentii.*

VII, 1 vulpes *docti*, vulpis *PR.*

VIII, 2 indignos *p*, dignos *PR.* 3 abire deinde impune *R.* 8 longetudinem *R.* 10 a quo *an. Nil., Bentl.* pactum *an. Nil.*, factu *P*, factum *Rg.*

Ingrata es, inquit, ore quae nostro caput
Incolume abstuleris et mercedem postules.

## IX.

### [PASSER AD LEPOREM CONSILIATOR.]

Sibi non cavere et aliis consilium dare
Stultum esse paucis ostendemus versibus.
Oppressum ab aquila, fletus et dantem graves
Leporem obiurgabat passer: ubi pernicitas
Nota, inquit, illast? quid ita cessarunt pedes?
Dum loquitur, ipsum accipiter necopinum rapit
Questuque vano clamitantem interficit.
Lepus semanimus: mortis en solacium!
Qui modo securus nostra inridebas mala,
Simili querela fata deploras tua.

## X.

### [LVPVS ET VVLPIS IVDICE SIMIO.]

Quicumque turpi fraude semel innotuit,
Etiam si verum dicit amittit fidem.
Hoc adtestatur brevis Aesopi fabula.
Lupus arguebat vulpem furti crimine;
Negabat illa se esse culpae proximam.
Tunc iudex inter illos sedit simius.
Uterque causam cum perorassent suam,
Dixisse fertur simius sententiam:
Tu non videris perdidisse quod petis;
Te credo subripuisse quod pulchre negas.

12 incolome *PR*, incolume *corr. ex* in collo meo *an. Wiss.* postules *Rittershusius*, postulas *P*, postolas *R*.

IX, 2 ostendemus *Tollius*, ostendamus *r*. 3 et dantem *M*, fletus-sedens *ex correctura P*, fletus edentem *p*, et fletus dantem *an. Nil.* 6 *fortasse* acceptor. 8 semanimus *M*, semianimus *PR*. en solatium *Sanadonus* (en solatia *Heins.*), in solatio *P et ut vid. R*: *an. Nil.*: et aquila: solatium quod tu qui (*add. M*) securus n. i. m. s. q. f. d. t.

X *inscr.* vulpis *PR*. 4 furti *p*, forti *PR*. 6 semius *pr. m. P*. sententiam *p*, sentiam *P*; de libello sententiam legit *Rom.*

## XI.

### [ASINVS ET LEO VENANTES.]

Virtutis expers verbis iactans gloriam
Ignotos fallit, notis est derisui.
Venari asello comite cum vellet leo,
Contexit illum frutice et admonuit simul,
Ut insueta voce terreret feras,
Fugientes ipse exciperet. Hic auritulus
Clamorem subito totis tollit viribus
Novoque turbat bestias miraculo.
Quae dum paventes exitus notos petunt,
Leonis adfliguntur horrendo impetu.
Qui postquam caede fessus est, asinum evocat
Iubetque vocem premere. Tunc ille insolens:
Qualis videtur opera tibi vocis meae?
Insignis, inquit, sic, ut, nisi nossem tuum
Animum genusque, simili fugissem metu.

## XII.

### [CERVVS AD FONTEM.]

Laudatis utiliora, quae contempseris,
Saepe inveniri testis haec narratiost.
Ad fontem cervus, cum bibisset, restitit
Et in liquore vidit effigiem suam.
Ibi dum ramosa mirans laudat cornua

XI *inscr.* DE LEONE ET ASINO *D, in quo omnes tituli litteris capitalibus sunt exarati.* 1 *om. D.* 5 ut ille insueta *D.* et feras *D.* 6 ipse ut *PR teste Vinc.*, ut ipse *R asser. Gud.*, ut *om. D.* 6 auriculus *PD*, auriculas *R ut vid.*, auritulus *Rigaltius.* 7 clamoret *P m. pr.* subitum *D.* tollit totis *PR.* 10 adfliguntur *D,* adficiuntur *PR.* 11 est *om. PR, add. D, si Mendelssohnio fides.* 12 tunc *est in PD, in R utrum sit necne non satis constat.* 13 quales *P m. pr.* q. v. o. t. v. m.: *sic D testante Mendelssohnio;* q. t. v. o. voc. m. *P,* q. o. t. v. voc. m. *R.* 14 sic ut *om. D.* 15 fuissem in metu *P, ed. Brocasiana, non D.*

XII *inscr. in D post v.* 2; laudat cornua *add. idem.* 1 laudatis] saepe esse *D.* 2 *ita Bentl.;* s. i. haec erit narratio *PR*, eius rei testis haec narratio est *D.* 4 fagiem *mut. eadem m. in* effigiem *D.* 5 laudat mirans *D.*

Crurumque nimiam tenuitatem vituperat,
Venantum subito vocibus conterritus
Per campum fugere coepit et cursu levi
Canes elusit. Silva tum excepit ferum,
In qua retentis impeditus cornibus
Lacerari coepit morsibus saevis canum.
Tunc moriens hanc dedisse vocem dicitur:
O me infelicem! qui nunc demum intellego,
Utilia mihi quam fuerint, quae despexeram,
Et, quae laudaram, quantum luctus habuerint.

## XIII.

### [VVLPIS ET CORVVS.]

Qui se laudari gaudet verbis subdolis,
Sera dat poenas turpis paenitentia.
Cum de fenestra corvus raptum caseum
Comesse vellet, celsa residens arbore,
Vulpes hunc vidit, deinde sic coepit loqui:
O qui tuarum, corve, pinnarumst nitor!
Quantum decoris corpore et vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.
At ille, dum vult etiam vocem ostendere,
Emisit ore caseum, quem celeriter
Dolosa vulpes avidis rapuit dentibus.

7 venatum *D.* 9 *fort.* lusit Molosos. 12 tunc *P*, tum *D.* hanc dedisse vocem *M*, dedisse vocem hanc *D*, vocem hanc edidisse *PR.* 13 intellego *PRD.* 14 ut illa mihi quam profuerint *PR*, *sed in hoc m. 2 del.* quam; qua tum (*sive ut test. Rig.* quantum) *m. 2 P.*

XIII *inscr.* vulpis ad corvum *D.* 1 quae — gaudent *D.* gaudent *Rom.*, *an. Nil.*, gaudet *an. Wiss.* 2 *ita scriptum hunc v. in D testatur Rig.*, *excepto quod ponit* dant *et* turpeis; *sed legitur in eo* serae dant poenas turpi paenitentia; *in PR est* fere dat p. turpi pen. 5 vulpis *PR*, vulpes ut *D fortasse recte;* vulpis ut haec vidit *Rom.*, vulpis hunc ut vidit *an. Wiss. ut vid.* deinde *D test. Mend.*, dehinc *PR* 6 quis *D.* pennarum *PR.* 7 decorem *D.* 9 *ita Lallemantius;* at i. d. e. voc. v. o. *Bentl. et sic m. recenti emendatum in margine D;* a. i. d. e. vult v. o. *D m.* 1; at i. stultus d. v. voc. ostendere *PR.* 10 latiorem emisit *D. sed in mrg. ead. illa m. rec. adscr. ad* latiorem: vacat; *an. Nil.* ille dum vult ostendere vocem latiorem; *an. Wiss.* at ille dum placere coepit (*leg.* cupit) et vocem suam ostendere. 11 vulpis *PRD.*

Tum demum ingemuit corvi deceptus stupor.
[Hac re probatur, ingenium quantum valet;
Virtute semper praevalet sapientia.]

## XIV.

### [EX SVTORE MEDICVS.]

Malus cum sutor inopia deperditus
Medicinam ignoto facere coepisset loco
Et venditaret falso antidotum nomine,
Verbosis adquisivit sibi famam strophis.
Hic cum iaceret morbo confectus gravi
Rex urbis, eius experiendi gratia,
Scyphum poposcit: fusa dein simulans aqua
Miscere antidoto sese illius toxicum
Ebibere iussit ipsum posito praemio.
Timore mortis ille tum confessus est
Non artis ulla medicae se prudentia,
Verum stupore vulgi factum nobilem.
Rex advocata contione haec prodidit:
Quantae putatis esse vos dementiae,
Qui capita vestra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commisit pedes?
Hoc pertinere vere ad illos dixerim,
Quorum stultitia quaestus impudentiaest.

## XV.

### [ASINVS AD SENEM PASTOREM.]

In principatu commutando saepius
Nil praeter domini nomen mutant pauperes.

12 tunc *D*, *an. Nil.* corvus cur dolosis fuisset deceptus fraudibus ut ignavus *D*, *qui reliqua om.* 13. 14 *del. Heins.* 13 i. q. v. *Nevcletus*, q. i. v. *P*, val. i. q. *R*. 14 virtute *adiecta virgula R test. Vinc.*

XIV, 3 anthidotum *P*. 4 adquesivit *PR*. strofis *P*. 7 deinde *m. sec. P*. 8 miscere antidoto sese illius *M*, m. anthidoto i. se *P*, illius miscere antidoto se *R*. 9 ebibere *Richterus*, bibere *PR*. 11 medicae *Gronovius*, medicum *PR*. 13 contione *P*. prodidit *M*, addidit *PR*, edidit *v*. 16 calceandos *v*, calcandos *P*. 18 stultitia — impudentiae est *Graevius*, stultitiae — inprudentia est *PR*. quaestus *v*, questus *P*.

XV, 1 saepius *R m. sec.*, *p*, civium saepius *P*, *R m. pr.* 2 nil *p*,

Id esse verum parva haec fabella indicat.
Asellum in prato timidus pascebat senex.
Is hostium clamore subito territus
Suadebat asino fugere, ne possent capi.
At ille lentus: quaeso, num binas mihi
Clitellas inpositurum victorem putas?
Senex negavit. Ergo quid refert mea,
Cui serviam? clitellas cum portem meas.

## XVI.

### [OVIS, CERVVS ET LVPVS.]

Fraudator homines cum vocat sponsum inprobos,
Non rem expedire, sed malum inferre expetit.
Ovem rogabat cervus modium tritici
Lupo sponsore. At illa praemetuens dolum:
Rapere atque abire semper adsuevit lupus,
Tu de conspectu fugere veloci impetu;
Vbi vos requiram, cum dies advenerit?

## XVII.

### [OVIS, CANIS ET LVPVS.]

Solent mendaces luere poenas malfici.
Calumniator ab ove cum peteret canis,
Quem commodasse panem se contenderet,
Lupus citatus testis non unum modo
Deberi dixit, verum adfirmavit decem.
Ovis damnata falso testimonio
Quod non debebat solvit. Post paucos dies
Bidens iacentem in fovea conspexit lupum:
Haec, inquit, merces fraudis a superis datur.

nihil *PR.* nomen *Bong.*, mores *PR.* 3 to esse *R.* 10 cum *Bergenius*, dum *PR.*

XVI, 1 vocat *Burmannus*, avocat *PR.* sponsum improbos *Desbillonius*, sponsore improbo *PR.* 2 malum inferre *M* (mala inferre *Zornius*), mala videre *PR.* expedit *R m. pr.*, *P.* 6 tu *p.* tum *P.*

XVII *inscr.* canis ad ovem lupus testis cōmodasse c̄tend *D.* 1 maleficii *PRD.* 3 commendasse *P.* cummendasse *Rg:* lupus dixit: panes sibi commodatos me praesente accepit *an. Wiss.* sese *R.* 5 debere *D.* affirmavit *D.* 8 bidens *Heins.*, videns *D*, *in mrg. m. ead.* ℣ (*sic*). ovis *PR.* prospexit in fovea *D:* conspexit *P*, *ed. Broc.*

## XVIII.

### [MVLIER PARTVRIENS.]

Nemo libenter recolit qui laesit locum.
Instante partu mulier actis mensibus
Humi iacebat flebilis gemitus ciens.
Vir est hortatus, corpus lecto reciperet,
Onus naturae melius quo deponeret.
Minime, inquit, illo posse confido loco
Malum finiri, quo conceptumst initio.

## XIX.

### [CANIS PARTVRIENS.]

Habent insidias hominis blanditiae mali:
Quas ut vitemus versus subiecti monent.
Canis parturiens cum rogasset alteram,
Vt fetum in eius tugurio deponeret,
Facile inpetravit: dein reposcenti locum
Preces admovit, tempus exorans breve,
Dum firmiores posset catulos ducere.
Hoc quoque consumpto flagitari validius
Cubile coepit: si mihi et turbae meae
Par, inquit, esse potueris, cedam loco.

## XX.

### [CANES FAMELICI.]

Stultum consilium non modo effectu caret,
Sed ad perniciem quoque mortalis devocat.

XVIII *inscr.* ad virum *add. D.* v. 1 *additus f. XVII in D.* 2 actis *D*, peractis *P*, *ed. Daneti, quam adhibuit in hac f. conferenda Vinc.* 3 humi *Heins*, humo *PD*, *ed. Dan.* flebilis *D*, flebiles *P*. g. conciens *Rg.* 5 maturum *Heins.* 6 illa *D.* 7 inicium *D.*

XIX *inscr. in D post v.* 2; ad alteram *add. idem.* 1 habentis *P m. pr.*, '*ms.*: habentis' *Gruterus.* homines *P* (*de R non constat*), *non D.* 4 fetus *D.* tugulio *D.* 5 deinde *R*, *sed deleto* de, *P*, deinde *sed punctis eadem manu adpositis sub* de *D.* 6 prece *m.* 2 *R;* admovit *p*, admonuit *cdd.* 7 catulos posset *PR.* deducere *D.* 8 consumto *PR.* flagitare *PR*, flagitari ut *Bentl.* 9 coepit illa *PDR*, *sed in hoc del. m. post* illa.

XX *inscr. dest in D;* familici *PR.* 2 pernitiem *D.* mortalis *D*, mortales *P.*

Corium depressum in fluvio viderunt canes.
Id ut comesse extractum possent facilius,
Aquam coepere ebibere: sed rupti prius
Periere, quam quod petierant contingerent.

## XXI.

### [LEO SENEX, APER, TAVRVS ET ASINVS.]

Quicumque amisit dignitatem pristinam,
Ignavis etiam iocus est in casu gravi.
Defectus annis et desertus viribus
Leo cum iaceret spiritum extremum trahens,
Aper fulmineis venit ad eum dentibus
Et vindicavit ictu veterem iniuriam.
Infestis taurus mox confodit cornibus
Hostile corpus. Asinus ut vidit ferum
Impune laedi, calcibus frontem extudit.
At ille exspirans: fortis indigne tuli
Mihi insultare: te, naturae dedecus,
Quod ferre cogor, certe bis videor mori.

## XXII.

### [MVSTELA ET HOMO.]

Mustela ab homine prensa cum instantem necem
Effugere vellet: parce, quaeso, inquit, mihi,
Quae tibi molestis muribus purgo domum.
Respondit ille: faceres si causa mea,
Gratum esset et dedissem veniam supplici.

5 bibere *P* (*de R non satis constat*). 6 ibi periere *PR*; *in hoc tamen* ibi *del.*

XXI *inscr.* leo deficiens aper taurus asellus *D.* 2 est etiam iocus est *R*, est etiam iocus *P*; locus *D.* 3 deceptus annis et virtute *an. Wiss.*; *fortasse* decrepitus, *ut est in Rom. Vlm.*; armis *Rg.* 5 venit ad eum *D*, a. e. v. *PR.* 6 veterem ictu *D.* 7 infestus *R ut vid.*, *P m.* 1. 9 ext *P m. pr. relicto quatuor litterarum spatio*, extorxit *id. m. sec.*; extudit *RD.* 10 fortis indigne fero *D*, *qui in his verbis deficit*; fortes *PR.* 11 certe cogor *PR*, *corr. Meursius.*

XXII. 2 p. q. i. *Bentl.*, q. i. p. *PR.* 4 facerem *P*, *R m. pr.* causam *sed littera* m *ab ipso librario expuncta P.* 5 et *add. p.*, *om.*

Nunc quia laboras, ut fruaris reliquiis,
Quas sunt rosuri, simul et ipsos devores,
Noli inputare vanum benficium mihi.
Atque ita locutus inprobam leto dedit.
Hoc in se dictum debent illi agnoscere,
Quorum privata servit utilitas sibi,
Et meritum inane iactant inpudentius.

## XXIII.

### [CANIS FIDELIS.]

Repente liberalis stultis gratus est,
Verum peritis inritos tendit dolos.
Nocturnus cum fur panem misisset cani,
Obiecto temptans an cibo posset capi:
Heus, inquit, linguam vis meam praecludere,
Ne latrem pro re domini? Multum falleris.
Namque ista subita me iubet benignitas
Vigilare, facias ne mea culpa lucrum.

## XXIV.

### [RANA RVPTA ET BOS.]

Inops, potentem dum vult imitari, perit.
In prato quondam rana conspexit bovem
Et tacta invidia tantae magnitudinis
Rugosam inflavit pellem: tum natos suos
Interrogavit, an bove esset latior.
Illi negarunt. Rursus intendit cutem
Maiore nisu et simili quaesivit modo,
Quis maior esset. Illi dixerunt bovem.
Novissime indignata dum vult validius
Inflare sese, rupto iacuit corpore.

*PRg.* 7 quas *Rittershusius*. quae *P*. *post* devores *add. haec P:* hic intellege soricem esse generis masculini. 8 me putare *P*, me[im]putare *R*. benfitium *an. Nil.* 9 loquutus *R*. 12 iactat *Rittershusius*. impudentius *Graevius*, inprudentius *M*. imprudentibus *PR*.

XXIII. 2 rerum *Bentl.* inritos *PR*. ostendit *PR m. pr.* 4 temtans *PR*. posset *Rittershusius*, possit *codd.*

XXIV, 2 quondam *Heins.*, quodam *PR*.

## XXV.

### [CANES ET CORCODILI.]

Consilia qui dant prava cautis hominibus,
Et perdunt operam et deridentur turpiter.
Canes currentes bibere ec Nilo flumine,
A corcodilis ne rapiantur, traditumst.
Igitur cum currens bibere coepisset canis,
Sic corcodilus: quamlibet lambe otio;
Noli vereri. At ille: facerem mercules,
Nisi esse scirem carnis te cupidum meae.

## XXVI.

### [VVLPIS ET CICONIA.]

Nulli nocendum: siquis vero laeserit,
Multandum simili iure fabella admonet.
Vulpes ad cenam dicitur ciconiam
Prior invitasse et illi in patina liquidam
Posuisse sorbitionem, quam nullo modo
Gustare esuriens potuerit ciconia.
Quae vulpem cum revocasset, intrito cibo
Plenam lagonam posuit: huic rostrum inserens
Satiatur ipsa et torquet convivam fame.
Quae cum lagonae collum frustra lamberet,
Peregrinam sic locutam volucrem accepimus:
Sua quisque exempla debet aequo animo pati.

XXV *inscr.* canis *R.* corcodrilli *P et sic ubique;* corcodillus *R;* 'ita scriptum locis omnibus' *Vinc.* 3 ec *M*, e *Rittersh.* in *PR*, ex *an. Nil.* 6 otius *m. sec. P.* 7 pota accede noli timere sedulo ait at noli vereri inquit . at ille *P; et ita plane R: corr. Rig.* facere me *sed corr. ab ipso librario P.* mercules *M*, hercule *PR.*

XXVI, 1 verro *R.* 2 ammonet *PR.* 3 vulpes *docti*, vulpis *PR.* cenam *P.* 4 in patena liquidam *Schefferus*, l. i. p. *PR:* in patina *Ursinus.* 5 sorbitione *P.* et posuit illi in catino sorbitionem liquidam *Rom.* 7 intito *sed corr. a librario P.* 8. 10 lagonam, lagonae *PR*, languenam, languenae *an. Wiss.*, in lagena *Rom.* 10 c. f. l. *B*, l. c. f. *R.* f. c. l. *p.* 11 loquutum *B. R.*

## XXVII.

### [CANIS, THESAVRVS ET VVLTVRIVS.]

[Haec res avaris esse conveniens potest
Et qui humiles nati dici locupletes student.]
Humana effodiens ossa thensaurum canis
Invenit, et violarat quia Manes deos,
Iniectast illi divitiarum cupiditas,
Poenas ut sanctae Religioni penderet.
Itaque aurum dum custodit, oblitus cibi
Famest consumptus; quem stans vulturius super
Fertur locutus: o canis, merito iaces,
Qui concupisti subito regales opes,
Trivio conceptus, educatus stercore.

## XXVIII.

### [VVLPIS ET AQVILA.]

Quamvis sublimes debent humiles metuere,
Vindicta docili quia patet sollertiae.
Vulpinos catulos aquila quondam sustulit
Nidoque posuit pullis, escam ut carperent.
Hanc prosecuta mater orare incipit,
Ne tantum miserae luctum inportaret sibi.
Contempsit illa, tuta quippe ipso loco.
Vulpes ab ara rapuit ardentem facem
Totamque flammis arborem circumdedit,
Hostis dolorem damno miscens sanguinis.
Aquila ut periclo mortis eriperet suos
Incolumes natos supplex vulpi reddidit.

---

XXVII *inscr.* canis et th. *PR.* 1. 2 *secl. Bentl.* thensaurum *Rg*, thesaurum *P.* 4 violarat *R*, violat *P*: '*extrema huius vocis erasa sunt, syllaba* at *substituta, unde conicere licet primam lectionem fuisse:* violarat' *B.* 8 consumtus *PR.* 9 loquutus *R.* 10 concupistis *P*, *em. p.* et educatus *PR.* et *del. Bentl.*; e. tr. et e. st. *Langenius m. Rh. XIII*, 205; *fortasse* tr. concepte et educate stercore.

XXVIII, 1 homines humiles *P*, *om.* homines *p.* 2 solertia *PR*, *corr. Praschius.* 5 prosecuta *M ex an. Wiss., Rom.*, persecuta *P*, persequuta *R.* 6 misere *P.* 8 vulpes *p*, vulpis *PR.* 9 hostis *Praschius*, hosti *PR*; hostis dolore damnum ulciscens *Heusingerus.* 11 periclo *p*, periculo *Rg*, pericolo *P.* 12 incolomes *PRg.* reddidit *an. Nil., Wiss., Rom.*, tradidit *PR.*

## XXIX.

### [ASINVS INRIDENS APRVM.]

Plerumque stulti risum dum captant levem,
Gravi destringunt alios contumelia
Et sibi non parvum concitant periculum.
Asellus apro cum fuisset obvius:
Salve, inquit, frater. Ille indignans repudiat
Officium et quaerit, cur sic mentiri velit.
Asinus demisso pene: similem si negas
Tibi me esse, simile certest hoc rostro tuo.
Aper, cum vellet facere generosum impetum,
Repressit iram et: facilis vindictast mihi,
Sed inquinari nolo ignavo sanguine.

## XXX.

### [RANAE METVENTES TAVRORVM PROELIA.]

Humiles laborant, ubi potentes dissident.
Rana in palude pugnam taurorum intuens:
Heu quanta nobis instat pernicies! ait.
Interrogata ab alia, cur hoc diceret,
De principatu cum illi certarent gregis
Longeque ab ipsis degerent vitam boves:
Est statio separata ac diversum genus;
Sed pulsus regno nemoris qui profugerit,
Paludis in secreta veniet latibula
Et proculcatas obteret duro pede.
Ita caput ad nostrum furor illorum pertinet.

XXIX, 2 destringunt *P*. 3 non parvum *M*, nocivum *PR*. 7 dimisso *P*, dimissa *R*: *corr. Schefferus.* pene, *recentiore m. mut. in* pede *P*. 8 simile certest *M*, certe simile est *PR*.

XXX, 5 cum ille illi *errore operarum ed. Berg.* greges *m. 2 P*. 6 ab illis *R ut vid., P*, *corr. Bothius.* 7 est ratio separata, inquit, ac *PR*. *corr. Gudius.* 8 sed pulsus *Burm.*, expulsos (*praecedente* s) *PR*. 8. 9 profugeret paludes *ut puto m. pr. R*. 11 ita caput *P* (*de R non constat*).

## XXXI.

### [MILVVS ET COLVMBAE.]

Qui se committit homini tutandum inprobo,
Auxilia dum requirit, exitium invenit.
Columbae saepe cum fugissent miluum
Et celeritate pinnae vitassent necem,
Consilium raptor vertit ad fallaciam
Et genus inerme tali decepit dolo:
Quare sollicitum potius aevum ducitis,
Quam regem me creatis icto foedere,
Qui vos ab omni tutas praestem iniuria?
Illae credentes tradunt sese miluo;
Qui regnum adeptus coepit vesci singulas
Et exercere imperium saevis unguibus.
Tunc de relicuis una: merito plectimur.

# LIBER SECVNDVS.

### [AVCTOR.]

Exemplis continetur Aesopi genus:
Nec per fabellas aliud quicquam quaeritur,
Quam corrigatur error ut mortalium
Acuatque sese diligens industria.
Quicumque fuerit ergo narrantis iocus,
Dum capiat aurem et servet propositum suum,
Re commendatur, non auctoris nomine.
Equidem omni cura morem servabo senis;
Sed si libuerit aliquid interponere,

XXXI *inscr.* miluus *v.* miluum *P.* 2 auxilium dum *an. Wiss., Nil., Rom., Bentl.* exitum *P*, *corr. p.* 4 pinnae *M*, pennae *v.* 8 icto *R ut vid.*, $\overset{\text{un}}{\text{icto}}$ *P.* 9 iniurias *PRg*, *corr. p.* 10 tradent *PRg*, *corr. p.* 13 reliquis *P*, relicuis *p.*

PHEDRI AVG. LIBERTI LIBER SECVNDVS. INCIPIT LIBER TERTIVS FELICITER *P.* Phaedri Augusti liberti liber secundus *R* (Phaedri Aug. Lib. secundus incipit *Rg*).

Auct. 2 n. p. f. a. q. q. *M*, n. a. quidq. p. f. q. *v.* 5 narrantis *Graevius*, narrandi *cdd.* 8 more *Rg.* 9 sed siluerit *Rg.* interpone *P.* interponere *p.*

Dictorum sensus ut delectet varietas,
Bonas in partes, lector, accipias velim,
Ita, si rependet illam brevitas gratiam.
Cuius verbosa ne sit commendatio,
Attende, cur negare cupidis debeas,
Modestis etiam offerre, quod non petierint.

## I.

### [IVVENCVS, LEO ET PRAEDATOR.]

Super iuvencum stabat deiectum leo.
Praedator intervenit partem postulans.
Darem, inquit, nisi soleres per te sumere:
Et inprobum reiecit. Forte innoxius
Viator est deductus in eundem locum
Feroque viso rettulit retro pedem.
Cui placidus ille: non est quod timeas, ait;
Et, quae debetur pars tuae modestiae,
Audacter tolle. Tunc diviso tergore
Silvas petivit, homini ut accessum daret.
Exemplum egregium prorsus et laudabile;
Verumst aviditas dives et pauper pudor.

## II.

### [ANVS DILIGENS IVVENEM, ITEM PVELLA.]

A feminis utcumque spoliari viros,
Ament, amentur, nempe exemplo discimus.
Aetatis mediae quendam mulier non rudis
Tenebat annos celans elegantia,
Animosque eiusdem pulchra iuvenis ceperat.

---

12 si *Heins.*, sic *PR.* illam *Heins.*, illi *PR.* 13 cui ius *Rg.* nescit *PR m. pr.*, ne sit *R m. sec. ut vid.; cf. not. Vinc.*

I, 2 postolans *m. pr. P.* 6 retulit *B.* 7 quid *PR*, quod *v.* 8 en, quae debetur pars tuae modestiae *Heins.* 9 auedacter *P.*

II, 1 spoliari *P;* exspoliari (*vel ut ap. Burmannum est* expoliare) *in manuscriptis esse testatur Gudius.* 2 exemplo *M* (exemplo hoc *Bentl.*), exemplis *edd.* 3 quendam *Gud.*, quedam *P*, quaedam *R teste Vinc.*, quēdam *Rg.* rodis *R.* 4 tenebat *Praschius*, tegebat *PR.* eligantia *PR.* 5 animosque *v*, animusque *P*, *de R non constat.*

Ambae, videri dum volunt illi pares,
Capillos homini legere coepere invicem.
Qui se putaret fingi cura mulierum,
Calvus repente factus est; nam funditus
Canos puella, nigros anus evellerat.

## III.

### [AESOPVS AD QVENDAM DE SVCCESSV INPROBORVM.]

Laceratus quidam morsu vementi canis
Tinctum cruore panem misit malfico,
Audierat esse quod remedium vulneris.
Tunc sic Aesopus: noli coram pluribus
Hoc facere canibus, ne nos vivos devorent,
Cum scierint esse tale culpae praemium.
Successus inproborum plures allicit.

## IV.

### [AQVILA, FELES ET APER.]

Aquila in sublimi quercu nidum fecerat;
Feles cavernam nancta in media pepererat;
Sus nemoris cultrix fetum ad imam posuerat.
Tum fortuitum feles contubernium
Fraude et scelesta sic evertit malitia.
Ad nidum scandit volucris: pernicies, ait,
Tibi paratur, forsan et miserae mihi;
Nam fodere terram quod vides cotidie
Aprum insidiosum, quercum vult evertere,
Vt nostram in plano facile progeniem opprimat.
Terrore offuso et perturbatis sensibus
Derepit ad cubile setosae suis:
Magno, inquit, in periclo sunt nati tui:

---

8 pingi *P*, *R ut vid.*, fingi *Scioppius*.

III *inscr.* quedam *P*. 1 vementi *M* (vehementi *Bongarsius*), vehementis *PR*. 2 misit *Gudius*, immisit *PR*. 5 ut vos (*pro* vivos) *Rg*. 7 allicet *R*.

IV, 2 nancta *PR*. 7 misere *P*. 8 cotidie *PR*. 11 offuso *Rittersh.*, effuso *PR*. 12 derepit *Colerus*, diripit *PR*. 13 periclo *r*, periculo *P*.

Nam, simul exieris pastum cum tenero grege,
Aquilast parata rapere porcellos tibi.
Hunc quoque timore postquam complevit locum,
Dolosa tuto condidit sese cavo.
Inde evagata noctu suspenso pede,
Vbi esca se replevit et prolem suam,
Pavorem simulans prospicit toto die.
Ruinam metuens aquila ramis desidet;
Aper rapinam vitans non prodit foras.
Quid multa? Inedia sunt consumpti cum suis
Felique et catulis largam praebuerunt dapem.
Quantum homo bilinguis saepe concinnet mali,
Documentum habere stulta credulitas potest.

* * *

## V.

### [ITEM CAESAR AD ATRIENSEM.]

Est ardalionum quaedam Romae natio,
Trepide concursans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo nil agens,
Sibi molesta et aliis odiosissima.
Hanc emendare, si tamen possum, volo
Vera fabella: pretiumst operae adtendere.
Caesar Tiberius cum petens Neapolim
In Misenensem villam venisset suam,
Quae monte summo posita Luculli manu
Prospectat Siculum et despicit Tuscum mare:
Ex alticinctis unus atriensibus,
Cui tunica ab umeris linteo Pelusio
Erat destricta cirris dependentibus,

17 toto *P*, *R m. pr.*, tuto *R m. sec.*: noto *Heins.* 18 suspensu *P*. 19 sese *PR*, se *p*. 24 felique et *Harius*, felisque *edd.*
* * * *de lacuna recte suspicatus est Rig.*

V, 1 ardalionum *PR*. 2 in otio *p*, notio *PR*. 3 nihil *edd.* 8 in Misinensem *R*, inmisiniensem *P test. Bergero*, in Misiniensem *Pith. in var. lect.*, *corr. p.* 9 posita *r*, posita est *P*. Luculli *p*, Lucili *R*, *P asser. Pith. et Bong.*, Lucilii *idem teste Berg.* 10 despicit *Guietus*, prospicit *P*, *ed. Broc.*, perspicit *Rg.* 11 alti cinctus *Rg.* 12 umeris *P*.

Perambulante laeta domino viridia,
Alveolo coepit ligneo conspargere
Humum aestuantem, iactans officium, comes;
Sed deridetur. Inde notis flexibus
Praecurrit alium in xystum, sedans pulverem.
Agnoscit hominem Caesar remque intellegit.
Id ut putavit esse nescioquid boni:
Heus! inquit dominus. Ille enimvero adsilit,
Donationis alacer certae gaudio.
Tum sic iocatast tanti maiestas ducis:
Non multum egisti et opera nequiquam perit;
Multo maioris alapae mecum veneunt.

## VI.

### [AQVILA ET CORNIX.]

Contra potentes nemost munitus satis;
Si vero accessit consiliator malficus,
Vis et nequitia quicquid oppugnant, ruit.
Aquila in sublime sustulit testudinem.
Quae cum abdidisset cornea corpus domo
Nec ullo pacto laedi posset condita,
Venit per auras cornix et propter volans:
Opimam sane praedam rapuisti unguibus;
Sed nisi monstraro quid sit faciendum tibi,
Gravi nequiquam te lassabit pondere.
Promissa parte suadet, ut scopulum super

---

14 viridia *Bong.*, viridiaria *PR.* 15 conspargere *PR.* 16 comes *Wasius,* come (*sequitur* s) *PR.* 18 xistum *P*, xystum *r.* 19 Caesaremque *PR*, *corr. p.* intellegit *PR.* 20 id *add. p*, *om. PR.* 22 certe *P*, *R*, certae *p.* 23 *in R puto fuisse* tunc; *cf. not. Vinc.* tanti *p*, tanta *PR.* 24 nequiquam *PR.* 25 maioris *Rig.*, maiores *PR.* venerunt *PR*, *corr. p.*

VI *inser.* '*primo legebatur* cornex' *B.* v. 1—3 *om. V.* 1 est monitus *P*, tutus est *R test. Gud., idem asser. Vinc.* tutus, *in marg. post* nemo *ead. m. add.:* ē mu ; munitus *p.* qui tutus et munitus est *Rom.:* contra potentem nemo tutus *an. Wissemb.* 3 quicquid *PR.* 4 sulime *P.* 5 quaecunque abstulisset *V.* 6 possit *PR.* 7 pretervolans *V.* 8 inquit *pro* sane *V.* 10 nequicquam *V. non PR.* lassavit *V.* 11 vadens ut scopulos *V.*

Altis ab astris duram inlidat corticem,
Qua comminuta facilem vescatur cibum.
Inducta verbis aquila monitis paruit,
Simul et magistrae large divisit dapem.
Sic tuta quae naturae fuerat munere,
Inpar duabus occidit tristi nece.

## VII.

### [MVLI DVO ET RAPTORES.]

Muli gravati sarcinis ibant duo:
Vnus ferebat fiscos cum pecunia,
Alter tumentes multo saccos hordeo.
Ille onere it dives celsa cervice eminens
Clarumque collo iactans tintinnabulum,
Comes quieto sequitur et placido gradu.
Subito latrones ex insidiis advolant
Interque caedem ferro mulum incursitant,
Diripiunt nummos, neclegunt vile hordeum.
Spoliatus igitur casus cum fleret suos:
Equidem, inquit alter, me contemptum gaudeo:
Nam nil amisi nec sum laesus vulnere.
Hoc argumento tutast hominum tenuitas;
Magnae periclo sunt opes obnoxiae.

## VIII.

### [CERVVS ET BOVES.]

Cervus nemorosis excitatus latibulis,
Vt venatorum fugeret instantem necem,

---

12 altis *om. V; idem post* illidat (*sic*) *add.* movet (monet *N*). 13 facilem — cibum *M*, facile — cibo *edd.* 14 monitus *V*. 15 et *om. VN*. dimisit *VN*. 16 tota, *sed statim corr. P*. fuerat naturae *V*.

VII *inscr.* et vectores *PR*. 2 peccunia *P*. 3 multos *N*. 4 it dives *vel* dis it *M*, dives *PRN*. eminet *N*. 5 iactat *idem*. 7 latrones subito *N*. 8 incursitant *Heins.*, trucidant (*praecedente* m) *PR*, sauciant *N*. 9 nec legunt *P*, neglegunt *R*, negligunt *N*. 11 contentum *P*, contemtum *R*, *et ita expr. ap. Jannell.* 12 nam nil *P*. quod nihil *N*. nec sum passus vulnera *N*. 13, 14 *om. haut dubie VN*. 14 periculo *P*. *corr. p*.

VIII *inscr.* ad *PR*. 1 nemorum exagitatis *V*, nemorum exagitatus *N*.

Caeco timore proximam villam petit
Et opportuno se bovili condidit.
Hic bos latenti: quidnam voluisti tibi,
Infelix, ultro qui ad necem cucurreris
Hominumque tecto spiritum commiseris?
At ille supplex: vos modo, inquit, parcite;
Occasione rursus erumpam data.
Spatium diei noctis excipiunt vices.
Frondem bubulcus adfert, nil ideo videt.
Eunt subinde et redeunt omnes rustici.
Nemo animadvertit: transit etiam vilicus,
Nec ille quicquam sentit. Tum gaudens ferus
Bubus quietis agere coepit gratias,
Hospitium adverso quod praestiterint tempore.
Respondit unus: salvum te cupimus quidem;
Sed ille, qui oculos centum habet, si venerit,
Magno in periclo vita vertetur tua.
Haec inter ipse dominus a cena redit
Et quia corruptos viderat nuper boves,
Accedit ad praesepe: cur frondis parumst,
Stramenta desunt? tollere hec aranea
Quantumst laboris? Dum scrutatur singula,
Cervi quoque altast conspicatus cornua;
Quem convocata iubet occidi familia
Praedamque tollit. — Haec significat fabula
Dominum videre plurimum in rebus suis.

---

4 oportuno *P, de R non constat.* se bovili *p*, bovile se *P*, bovili (bobili *Rg*) se *R*. et inter bubulos rustice (rusticus *N*) se condidit *VN*. 5 huic eo *V*. 7 hominisque *V*. 8 vos *V*, bos *PR*. 10 spacium dein *V*. 11 nil ideo] nec ideo *PR*, nihil *om.* ideo *VN*. 13 nemo eum advertit *V*. etiam *in marg. m. ead. add. V*. villicus *V*, *non PR*. 14 gaudens cervus *N*, g. corvus *V*. 15 bubus quietis *RV*, boves quietes *P in ras.* 16 hospitium *v*, hospicium *P*, ospitium *V*. quia praestarent *V*. 17 te volumus *V*. 19 magna *P m. pr.* periclo *p*, periculo *P; om. v. h. NV*. 20 cena *P*. 21 nuper boves *V*, boves nuper *P* (*de R non constat*). 22 accepit ad prasepia *V*. 25 alta est *p*, est alta *PR*. alta conspicatur *V*. 27 praedamque *V*, praedumque *P;* praedamque tollit quam paraverat casus *om. v. ult. V*.

### [AVCTOR.]

Aesopi ingenio statuam posuere Attici
Servomque collocarunt aeterna in basi,
Patere honoris scirent ut cuncti viam
Nec generi tribui, sed virtuti gloriam.
Quoniam occuparat alter, ut primus foret,
Ne solus esset, studui; quod superfuit:
Nec haec invidia, verumst aemulatio.
Quod si labori faverit Latium meo,
Plures habebit, quos opponat Graeciae.
Si livor obtrectare curam voluerit,
Non tamen eripiet laudis conscientiam.
Si nostrum studium ad aures cultas pervenit
Et arte fictas animus sentit fabulas,
Omnem querelam submovet felicitas.
Sin autem rabulis doctus occurrit labor,
Sinistra quos in lucem natura extulit,
[Nec quicquam possunt nisi meliores carpere,]
Fatale vitium corde durato feram,
Donec fortunam criminis pudeat sui.

---

## LIBER TERTIVS.

### [PHAEDRVS AD EVTYCHVM.]

Phaedri libellos legere si desideras,
Vaces oportet, Eutyche, a negotiis,

---

auct. 1 Aes. ing. *N*, Es. ingenii *V*, Aesopi ingentem *R*, Aesopo ingentem, *sed ut videatur fuisse prius* Aesopi ingento (*sic*) *P*. 2 servomque *M*, servumque *V*, servolumque *R*, servulum quae *P*. aeternae basi *N*, aeterne basi *V*. 3 parere *V*. honoris *Praschius*, honori *V*, homini *PR* (*sequitur* s). 4 generit *P m. pr.*, genere *Rg*. *vv.* 5—19 *om. V*. 5 ut *Bentl.*, ne *PR*. 6 ne — studui *Rittersh.*, nec *P* (*de R non constat*) — studii *PR*. 8 faveret *P*, faberet *R*, *corr. p*. 9 livor obtrectare *p*, libor oblectare (*sive* obiectare) *R*, labor oblectare *P*.
12 ad aures cultas pervenit *M*, pervenit ad aures tuas *PR*. 15 rabulis *Baehrensius*, ab illis *PR*. 17 *secl. Bentl.* possunt *RB*, possint *P teste Bong.* maiores *Zornius*, *qui tutatur h. v.* 18 vitium *Gronovius*, exitium (*praecedente* e) *PR*.

Liber tertius *om. PR*.

Vt liber animus sentiat vim carminis.
Verum, inquis, tanti non est ingenium tuum,
Momentum ut horae pereat officiis meis.
Non ergo causast manibus id tangi tuis,
Quod occupatis auribus non convenit.
Fortasse dices: 'aliquae venient feriae,
Quae me soluto pectore ad studium vocent.
Legesne, quaeso, potius viles nenias,
Inpendas curam quam rei domesticae,
Reddas amicis tempora, uxori vaces,
Animum relaxes, otium des corpori,
Vt adsuetam fortius praestes vicem?'
Mutandum tibi propositumst et vitae genus,
Intrare si Musarum limen cogitas.
Ego, quem Pierio mater enixast jugo,
In quo tonanti sancta Mnemosyne Iovi
Fecunda novies artium peperit chorum,
Quamvis in ipsa paene natus sim schola
Curamque habendi penitus corde eraserim
Et laude invicta vitam in hanc incubuerim,
Fastidiose tamen in coetum recipior.
Quid credis illi accidere, qui magnas opes
Exaggerare quaerit omni vigilia,
Docto labori dulce praeponens lucrum?
Sed iam quodcumque fuerit, ut dixit Sinon,
Ad regem cum Dardaniae perductus foret,
Librum exarabo tertium Aesopi stilo,
Honori et meritis dedicans illum tuis.
Quem si leges, laetabor; sin autem minus,

Phaedrus ad Eutychum. 4 inquis *p*, inquit *PR*. 5 officiis meis *Heins.*, officii mei *P*. 6 causa est *p*, causae *P*. tangit vis *Rg*. 9 solito *P*, *R m. pr.* 10 nenias *R*, venias *P*, naenias *p*. 15 et *p*, ut *PR*. 18 ne Nemosyne *P*, Nemosyne *Rg* (*male Vinc. refert in R esse* Memosyne). 19 facunda *PR*, *corr. p.* char? *R teste Vinc.*; *puto scriptum fuisse* charus *per compendium.* 20 pene natus sim *B*, *Heumannus*, natus sim pene *p*, *ed. Broc.* 21 curam quae *P*, curamque *r*. eraserem *P m. pr.* 22 invicta *Desbillonius*, invita *PR*. in hanc vitam *PR*, *corr. Praschius.* 23 fastidiosae *P*.

Habebunt certe, quo se oblectent posteri.
  Nunc fabularum cur sit inventum genus
Brevi docebo. Servitus obnoxia,
Quia quae volebat non audebat dicere,
Adfectus proprios in fabellas transtulit
Calumniamque fictis elusit iocis.
Ego porro illius semitam feci viam,
Et cogitavi plura quam reliquerat,
In calamitatem deligens quaedam meam.
Quodsi accusator alius Seiano foret,
Si testis alius, iudex alius denique,
Dignum faterer esse me tantis malis,
Nec his dolorem delenirem remediis.
Suspitione siquis errabit sua
Et rapiet ad se, quod erit commune omnium,
Stulte nudabit animi conscientiam.
Huic excusatum me velim nilo minus:
Neque enim notare singulos mens est mihi,
Verum ipsam vitam et mores hominum ostendere.
  Rem me professum dicet forsan quis gravem.
Si Phryx Aesopus potuit, Anacharsis Scytha
Aeternam famam condere ingenio suo:
Ego, litteratae qui sum propior Graeciae,
Cur somno inerti deseram patriae decus?
Threissa cum gens numeret auctores suos,
Linoque Apollo sit parens, Musa Orpheo,
Qui saxa cantu movit et domuit feras

---

37 fictis elusit iocis *V* (*exc. quod in eo est* ocis *erasa ante littera ut vid.* c), *et ita plane p;* fict scelus it locis *PR*. 38 e. p. i. *Schefferus*, e. i. p. *P*, i. p. e. *R*. semitam *Scheff.*, semita *PR*; *an. Wiss.* quod multorum semitas amplissimas faceret vias. 39 *fortasse* concinnavi. 41 quod si *p*, quod sit *P*. 44 delenirem *Bentl.*, delinirem *P*. 45 suspitione si quis *P*, suspiciones quis *Rg*. 47 nudabit *p*, nudavit *PR*. 48 nilo *M*, nihilo *Pr*. 51 forsan quis *Heins.*, forsan aliquis *P*, forsitan aliquis *Rg*. *post hunc v. leg. in PR:* Phrygem (*sic Vinc.*, Frigem *Rg*, Frige *P*) fuisse Aesopum; *del. p*. 52 Phrix *P*, Phryx *r*. si *post* potuit *non est in P nec in ed. Broc.* Anacharsis Scytha *Rig.*, Anacharsae Scythae *R*, Anaharsae Scythae *P*. 54 propior *p*, proprior *PR*.

Hebrique tenuit impetus dulci mora.
Ergo hinc abesto livor, ne frustra gemas,
Quoniam sollemnis mihi debetur gloria.
  Induxi te ad legendum; sincerum mihi
Candore noto reddas iudicium peto.

## I.

## [ANVS AD AMPHORAM.]

  Anus iacere vidit epotam amphoram,
Adhuc Falerna faece ec testa nobili
Odorem quae iocundum late spargeret.
Hunc postquam totis avida traxit naribus:
O suavis anima! quale in te dicam bonum
Anthac fuisse, tales cum sint reliquiae?
  Hoc quo pertineat, dicet, qui me noverit.

## II.

## [PANTHERA ET PASTORES.]

  Solet a despectis par referri gratia.
Panthera inprudens olim in foveam decidit.
Videre agrestes: alii fustes congerunt,
Alii onerant saxis: quidam contra miseriti
Periturae quippe, quamvis nemo laederet,
Misere panem, ut sustineret spiritum.
Nox insecutast: abeunt securi domum,
Quasi inventuri mortuam postridie.

---

59 Hebrique *Rigaltius,* Herebique *P* (*de R non constat*); '*haec vox loco alterius penitus deletae* (*rasa membrana*) *prima manu scripta est*' *B.* 60 libor *PR.* 61 soll. m. *Bong.*, m. sollemnis *P*, *R* (*exc. quod non constat num* sollemnis *in hoc scriptum fuerit per* ll *et* mn). debentur *Rg.*

  I, 2 ec *M*, et *PRV.* 3 iocondum *P.* spargent *operarum utique errore B*, sparserat *V.* 4 avida *R m. sec.*, avide *V*, avita *P*, *R m. pr.* q. i. t. d. b. *Gud.*, qualem t. d. bonam *PR*, quale t. d. bonum *V.* 6 anthac *M*, antehac *Pr,* ante has *V.* reliquae *V.* 7 hunc *P test. Berg.*, huc *idem asser. Bong.*, *corr. p.* *v.* 7 *om. V.*

  II, 1 *om. V.* 3 cogerunt *an. Wiss.;* ingerunt *Bentl.* 4 quidem *PR*, *non V.* miserti *P*, *in quo videtur prius fuisse* miseriti; miseriam *V.* 5 *fortasse* cum laesisset neminem; *ap. an. Wiss. et Rom. est* quidam dixerunt: parcite innocenti qui neminem laesit. 6 pariem sustinentes *V.* 8 post tridie *P.*

At illa vires ut refecit languidas,
Veloci saltu fovea sese liberat
Et in cubile concito properat gradu.
Paucis diebus interpositis provolat,
Pecus trucidat, ipsos pastores necat,
Et cuncta vastans saevit irato impetu.
Tum sibi timentes, qui ferae pepercerant,
Damnum haut recusant, tantum pro vita rogant.
At illa: memini quis me saxo petierit,
Quis panem dederit: vos timere absistite;
Illis revertor hostis, qui me laeserunt.

## III.

### [AESOPVS ET RVSTICVS.]

Vsu peritus hariolo veracior
Vulgo esse fertur, causa sed non dicitur;
Notescet quae nunc primum fabella mea.
Habenti cuidam pecora pepererunt oves
Agnos humano capite. Monstro territus
Ad consulendos currit maerens hariolos.
Hic pertinere ad domini respondet caput
Et avertendum victima periculum.
Ille autem adfirmat coniugem esse adulteram
Et insitivos significari liberos,
Sed expiari posse maiore hostia.
Quid multa? Variis dissident sententiis

---

9 v. vi *V*. refecit *V*, *R m. sec.*, reficit *PR m. pr.* 13 trudat ipsius pastorem *V*. 14 vertens sevit irati *V*. 15 pepercerint *V*. 16 haut *PR*, hand *V*. pro vita *V*, *an. Wiss.*, *Rom.*, prumta *P*, prumpta *Rg.* 17 at *V*, et *PR*. quis *an. Wiss.*, *Rom.*, qui *edd.* saxis *V*. petierat *PRg*, petierant *R test. Vinc.* 18 quis *PR*, qui *V*. 19 laeserunt *V*, laeserant *P*, laeserat *Rg.*

III, 1—3 *om. V*. 1 veracior *Bong.*, velocior *PRg.* 2 v. e. f., c. *p*, v. c. f. *om.* c. *PR*. 4 peperunt *Rg.* pererernnt aves *V*. 5 territus *V*, exterritus *expressum ap. Iannell., ut vulgo ferebatur ante eum;* perterritus *PR*. 6 consolendos *PRg*, *corr. p;* consultandos *V*. merens hariolus *PRg*, merens ariolos *V*. 7 respondit *PRg*, *corr. Rigalt.;* respondent *V*. 8 avertendum esse *om.* et *V*. 10 et illegunnos (illegitimos *N*) significat *NV*. 11 expiare *V*. maiore *V*, maiori *P*.

Hominisque curam cura maiore adgravant.
Aesopus ibi stans, naris emunctae senex,
Natura numquam verba cui potuit dare:
Si procurare vis ostentum, rustice,
Vxores, inquit, da tuis pastoribus.

## IV.

### [LANIVS ET SIMIVS.]

Pendere ad lanium quidam vidit simium
Inter relicuas merces atque obsonia;
Quaesivit, quidnam saperet? Tum lanius iocans:
Quale, inquit, caput est, talis praestatur sapor.
Ridicule magis hoc dictum quam vere aestimo;
Quando et formosos saepe inveni pessimos,
Et turpi facie multos cognovi optimos.

## V.

### [AESOPVS ET PETVLANS.]

Successus ad perniciem multos devocat.
Aesopo quidam petulans lapidem inpegerat.
Tanto, inquit, melior! Assem deinde illi dedit,
Sic prosecutus: plus non habeo mercules,
Sed unde accipere possis, monstrabo tibi.
Venit ecce dives et potens: huic similiter
Inpinge lapidem, et dignum accipies praemium.
Persuasus ille fecit, quod monitus fuit;
Sed spes fefellit inpudentem audaciam:
Conprensus namque poenas persolvit cruce.

---

13 hominisque *V*, hominesque *P*; hominique *Bentl.* adgravant *P*, adgrabant *Rg*; augent *V*. 14 sibi *PRg*. stans narrare incipit *om. rel. V*. 15 natura (naturam *N*) nequaquam verba cuiquam dare *N V*.

IV, 1 lanium — simiam *V*. 2 relicuas *Bong.*, reliquas *P V*. obsonia *P*, opsonium *N*, ops ovium *V*. 4 prestatur *V*, praestatus *PRg*. 5 magis hoc dictum *V*, h. d. m. *PR*. existimo *V*. 6 formosus *PRg*, *non V*. 7 facies• *V*.

V, 1 *om. V*. saepe multos *PR*, *sed in hoc* saepe *del. m. sec.* 2 lapides *V*. 3 fio *pro* tanto *V*. 4 mercules *M*, me hercules *V*, mehercule *PR*. 6 venit etiam *Rg*, venit ecce *PV ed. Broc.* 9 res *V*. 10 comprehensus *P ed. Broc. V*, comprensus *N*. solvit sceleris *N*, solvit celeris (s written above) *V*.

## VI.

### [MVSCA ET MVLA.]

Musca in temone sedit et mulam increpans:
Quam tarda es! inquit, non vis citius progredi?
Vide, ne dolone collum conpungam tibi.
Respondit illa: verbis non moveor tuis;
Sed istum timeo, sella qui prima sedens
Tergum flagello temperat lento meum
Et ora frenis continet spumantibus.
Quapropter aufer frivolam insolentiam;
Namque ubi tricandum et ubi currendum sit scio.
Hac derideri fabula merito potest,
Qui sine virtute vanas exercet minas.

## VII.

### [LVPVS AD CANEM.]

Quam dulcis sit libertas, breviter proloquar.
Cani perpasto macie confectus lupus
Forte occucurrit. Dein salutatum invicem
Vt restiterunt: unde sic, quaeso, nites?
Aut quo cibo fecisti tantum corporis?
Ego, qui sum longe fortior, pereo fame.
Canis simpliciter: eademst condicio tibi,
Praestare domino si par officium potes.
Quod? inquit ille. Custos ut sis liminis,
A furibus tuearis et noctu domum.
Ego vero sum paratus: nunc patior nives

---

VI, 1 temone *V*, timone *PR an. Wiss.* 2 tarde inquit *Rg*, inquit et *PR*, *om.* et *V*. 3 dolose *P*, dolos *R*, dolosa *V: corr. p.* 6 tergum *Burmannus*, iugum *cdd.* flagellans t. collo *V*. meo *prius P*. 7 lora *PR*, *non V*. qui frenis ora temperat et loris interflectitur (*l.* iter flectit) *Rom.;* q. ora fr. t. et loris intercursum (*i. e.* iter cursum) regit *an. Wiss.* 9 namque *Buchnerus*, nam *PR*, *om. NV*. sit *Bentl.*, est *PR;* ubi sit tardandum et ultro currendum scio *N*, u. s. saltandum et u. c. sc. *V*. 10, 11 *om. V*.

VII, 1 *om. V*. 2 coniunctus *V*. 3 occucurrit *Bentl.*, occurrit *cdd.* salutatum *Orellius*, salutati *V*, salutantes *PR;* cum se gratiose salutarent *an. Wiss.* 4 quero vires *V*. 7 condicio est *V*. 9 quale inquit *V*. c. si fueris *V*. 10 et *om. V*.

Imbresque in silvis asperam vitam trahens:
Quantost facilius mihi sub tecto vivere
Et otiosum largo satiari cibo?
Veni ergo mecum. Dum procedunt, aspicit
Lupus a catena collum detritum cani.
Vnde hoc, amice? Nil est. Dic, quaeso, tamen.
Quia videor acer, alligant me interdiu,
Luce ut quiescam et vigilem, nox cum venerit:
Crepusculo solutus qua visumst vagor.
Adfertur ultro panis; de mensa sua
Dat ossa dominus; frusta iactant familia
Et, quod fastidit quisque, pulmentarium.
Sic sine labore venter impletur meus.
Age, abire siquost animus, est licentia?
Non planest, inquit. Fruere, quae laudas, canis:
Regnare nolo, liber ut non sim mihi.

## VIII.

### [SOROR ET FRATER.]

Praecepto monitus saepe te considera.
Habebat quidam filiam turpissimam
Idemque insignem pulchra facie filium.
Hi speculum in cathedra matris ut positum fuit
Pueriliter ludentes forte inspexerunt.
Hic se formosum iactat: illa irascitur
Nec gloriantis sustinet fratris iocos,
Accipiens quippe cuncta in contumeliam.
Ergo ad patrem decurrit laesura invicem

14 saciari *P*, sociari *V*. 16 cani *V*, *Rom.* (*om. an. Wiss.*), canis *PR*. 17 nihil *cdd.* dic sodes *V*. 19 venit *N*. 20 vager *V*. 22 datur *P m. pr.*, *Rg.* frustra *V*. iactant familia *Burm. ed. a.* 1727, iactat f. *PR*, iactant famuli *V*. proiciunt familia *an. Nil.*, *non Rom.*, *an. Wiss.* 25 age, abire siquost a. *M*, a. si quo est ab. a. *PR*, a. si quo abire vis *V*. 26 f. his quae *V*. 27 regnare volo (nolo *N*), nisi libertatem habeam *NV*.

VIII *inscr.* soror et frater *docti*, soror ad fratrem *PR*. v. 1 *om. V*. 3 insignem et *VN*, insigni et *PR; del.* et *Harius*. 4 hi *om. V*. his *PR*. ut positum *V*, suppositum *PR*. 5 inspexerunt *PRV*. 7 fratris sustinet *V*. 8 quippe *Bentl.*, quid enim *PR*, qd enim *V*. 9 iuvenem *V*, *N teste Orvillio; op. Iann. expressum* invicem.

Magnaque invidia criminatur filium,
Vir natus quod rem feminarum tetigerit.
Amplexus ille utrumque et carpens oscula
Dulcemque in ambos caritatem partiens:
Cotidie, inquit, speculo vos uti volo:
Tu formam ne corrumpas nequitiae malis;
Tu faciem ut istam moribus vincas bonis.

## IX.

### [SOCRATES AD AMICOS.]

Vulgare amici nomen, sed rarast fides.
Cum parvas aedes sibi fundasset Socrates,
(Cuius non fugio mortem, si famam adsequar,
Et cedo invidiae, dummodo absolvar cinis)
Ec populo sic nescioquis, ut fieri solet:
Quaeso, tam angustam talis vir ponis domum?
Vtinam, inquit, veris hanc amicis impleam!

## X.

### [POETA DE CREDERE ET NON CREDERE.]

Periculosumst credere et non credere.
Ponam utriusque breviter exemplum rei.
Hippolytus obiit, quia novercae creditumst;
Cassandrae quia non creditum, ruit Ilium.
Ergo explorandast veritas multum prius
Quam stulte prava iudicet sententia.
Sed fabulosam ne vetustatem eleves,
Narrabo tibi memoria quod factumst mea.
Maritus quidam cum diligeret coniugem

10 magna quae *P.* 'criminatur] *sic, pro* criminatur' *manifesto operarum errore B.* 11 *om. V.* 12 ille amplexus *V.* 14 cotidie *PR*, continue i. speculis *V.* 15 corrumpis nequitia *V.*

IX, 5 ec *M*, est *P*, ex *p; de R non constat.*

X, 2 *ita M;* u. e. b. exponam (ponam *V*) rei *cdd.* 3 Hyppolitus *P, de R non constat.* obiit *V*, obit *PR.* 5 semper prius *V.* 6 stulta prave *P, v*, stulte prava *V.* 7 fabulosa *PR*, fabulosam *V.* vetustatem *cdd.* eleves *Bentl.*, levem *P, R m. pr.; id. m. sec.* vetustate elevem. asseras *V.* 8 quod memoria *V.* 9 castam *pro* quidam *V.*

Togamque puram iam pararet filio,
Seductus in secretum a libertost suo,
Sperante heredem suffici se proximum.
Qui cum de puero multa mentitus foret
Et plura de flagitiis castae mulieris,
Adiecit, id quod sentiebat maxime
Doliturum amanti, ventitare adulterum
Stuproque turpi pollui famam domus.
Incensus ille falso uxoris crimine
Simulavit iter ad villam clamque in oppido
Subsedit: deinde noctu subito ianuam
Intravit, recta cubiculum uxoris petens,
In quo dormire mater natum iusserat,
Aetatem adultam servans diligentius.
Dum quaerunt lumen, dum concursant familia,
Irae furentis impetum non sustinens
Ad lectum accedit, temptat in tenebris caput.
Vt sentit tonsum, gladio pectus transigit,
Nil introspiciens, dum dolorem vindicat.
Lucerna adlata simul adspexit filium
Sanctamque uxorem dormientem cubiculo,
Sopita primo quae nil somno senserat,
Repraesentavit in se poenam facinoris
Et ferro incubuit, quod credulitas strinxerat.
Accusatores postularunt mulierem
Romamque pertraxerunt ad centumviros.
Maligna insontem deprimit suspitio,

---

10 compararet *V*. 11 seductus *V*, sed vetus *PR*. est *om. PR*. 12 sufficisse *PRg*, *id. test. Vinc.* sufficis se, *mutatum m. sec. in* suffici se. fieri se *V*. 13 hic cum *V*, qui dum *P; R utrum habeat* dum *an* cum *non constat.* 15 adierit *V*. 16 amantem *V*. 18 uteris *V*. 20 suo sedit dehinc *V*. ianua *V*. 21 tecta *V*. infelix *pro* uxoris *id.* 22 n. m. *V*. 23 diligentia *V*. 24 concursant *P*, *R m. pr.*, *id. m. sec. cum V* concursat. 26 a. l. vadit *V*. temtat *PR*, tentat *V*. 27 sensit *V*. transigit *Bong.*, transfigit *cdd.* 28 nil introspicieus dum *M*, nihil in respiciendum *PR*, nihil respiciens dum *V*, *et ita corr. in R.* vindicat *M*, vindicet *cdd.* 29 alata *V*. adspexit *P*, aspexit *V*. 30 sanctam quae *P*, sanctamque *v.* 31 nil *V* nihil *PRg.* 34 postolarunt *PRg*, popularium *V*. 36 magna insolentem *V*. suspicio *B*, suspitio *V ut vid.*

Quod bona possideat. Stant patroni fortiter
Causam tuentes innocentis feminae.
 A Divo Augusto tunc petierunt iudices,
Vt adiuvaret iuris iurandi fidem,
Quod ipsos error implicuisset criminis.
Qui postquam tenebras dispulit calumniae
Certumque fontem veritatis repperit:
Luat, inquit, poenas causa libertus mali;
Namque orbam nato simul et privatam viro
Miserandam potius quam damnandam existimo.
Quodsi delata perscrutatus crimina
Paterfamilias esset, si mendacium
Subtiliter rimasset, a radicibus
Non evertisset scelere funesto domum.
 Nil spernat auris, nec tamen credas statim,
Quandoquidem et illi peccant, quos minime putes,
Et qui non peccant, inpugnantur fraudibus.
 Hoc admonere simplices etiam potest,
Opinione altrius nequid ponderent:
Ambitio namque dissidens mortalium
Aut gratiae subscribit aut odio suo.
Erit ille notus, quem per te cognoveris.
 Haec executus sum propterea pluribus,
Brevitate nimia quoniam quosdam offendimus.

---

37 possidet *V*. 39 *litteris maiusculis isdemque rubricatis tituli instar scribitur in PR*. petierunt *M*, petiere *PR*. pontificem maximum rogarunt i. *V*. 40 ut] u *etiam l. mai. et rubr. exarat. in P*. 41 quando *V*. 42—43 tenebras — certumque *om. V*. dispulit *p*, distulit *PRg*. 44 l. i. p. pessimus libertus *om.* mali *V*. 45 simul ac *V*. 47 delata *Burm.*, damnanda *PR*. delatum bene scrutatus crimen *V*. 48 paterfamilias *V ed. Broc.*, paterfamiliae *P*. 49 rimasset *Lachmannus*, limasset *cdd.* 50 dentum, *in mrg. m. pr.* domum *V*. 51 nil *V*, nihil *PR*. credas *M*, credat *r* (*ante scripseramus* n. s. animus, n. t. credat statim). 52 putas *V*. 54—60 *om. V*. 54 ammonere *PR*. 55 altrius *M*, alterius *r*. nequid ponderent *R m. sec.*, ne quis ponderet *PR m. pr. teste Vinc.*, *vel asser. Gud.* ne qui sponderet. 59 exsequutus *R*.

## XI.

### [EVNVCHVS AD INPROBVM.]

Eunuchus litigabat cum quodam inprobo;
Qui super obscena dicta et petulans iurgium
Damnum insectatus est amissi roboris.
En, ait, hoc unumst, cur laborem validius,
Integritatis testes quia desunt mihi.
Sed quid fortunae, stulte, delictum arguis?
Id demumst homini turpe, quod meruit pati.

## XII.

### [PVLLVS AD MARGARITAM.]

In sterquilino pullus gallinacius
Dum quaerit escam margaritam repperit.
Iaces indigno quanta res, inquit, loco!
Hoc siquis pretii cupidus vidisset tui,
Olim redisses ad splendorem pristinum.
Ego quod te inveni, potior cui multost cibus,
Nec tibi prodesse nec mihi quicquam potis.
Hoc illis narro, qui me non intellegunt.

## XIII.

### [APES ET FVCI VESPA IVDICE.]

Apes in alta fecerant quercu favos:
Hos fuci inertes esse dicebant suos.
Lis ad forum deductast vespa iudice.
Quae genus utrumque nosset cum pulcherrime,
Legem duabus hanc proposuit partibus:

---

XI, 2 cui *PR*, *non V*. obscena *P*. 3 roboris *Praschius*, corporis *cdd.* 5 integritati — meae *V*. 6 delictum *V*, delectum *PR*.

XII, 1 sterquilino *Salmas.*, sterquilinio *PV*, stercuilinio *R*. gallinaceus *V*, *non P*, *Rom.;* gallinatius *an. Wiss.* 4 vidisses *R. m. pr.* tui *om. V*. 5 a. sp. pristinum *V*, *Rom.* (a. sp. tuum *an. Wiss.*), a. sp. maximum *PR*. 6 quod *V*, qui *PR*. cui potior èst cibus *V*. 7 potis *M*, potes *PR*, potest *V*. 8 *om. V*. narrat *prius P*.

XIII *bis haec fabula scripta in Neap.; de Vat. nihil notatum.* 1 alta *V*, alia *PRg*. fecerant quercu *V*, q. fecerunt *PR*. 2 suis *Rg*. 3 ad forum deducta est *V*, *N altero loco*, *altero idem testante Orell.* deducta ad forum est. 4 quam *pro* cum *V*. 5 duabus *V*, duarum *operarum errore ut puto B.*

Non inconveniens corpus et par est color,
In dubium plane res ut merito venerit.
Sed ne religio peccet inprudens mea,
Alvos accipite et ceris opus infundite,
Vt ex sapore mellis et forma favi,
De quis nunc agitur, auctor horum appareat.
Fuci recusant: apibus condicio placet.
Tunc illa tali ius tulit sententia:
Apertumst quis non possit et quis fecerit.
Quapropter apibus fructum restituo suum.
Hanc praeterissem fabulam silentio,
Si pactam fuci non recusassent fidem.

## XIV.

### [DE LVSV ET SEVERITATE.]

Puerorum in turba quidam ludentem Atticus
Aesopum nucibus cum vidisset, restitit
Et quasi delerum risit. Quod sensit simul
Derisor potius quam deridendus senex,
Arcum retensum posuit in media via:
Heus! inquit, sapiens, expedi, quid fecerim.
Concurrit populus. Ille se torquet diu
Nec quaestionis positae causam intellegit.
Novissime succumbit. Tum victor sophus:
Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris;
At si laxaris, cum voles erit utilis.

---

6 colos *sed ead. m. corr. R.* 7 noverit, *sed in marg. m. ead.* venerit *V.* 9 alvos *PR*, alveos *N bis*, *V.* accipiter — coris — infundit *V.* 11 quis *N*, *V per comp.*, quibus *PR.* 12 fusi *P.* 13 tum *B.* tali ius tulit sententia *M*, talem sustulit sententiam *PR* (sententia *Rg*), talem pertulit sententiam *V*, *et ita N altero loco*, *altero idem* protulit. 14 et quis *V*, aut quis *PR.* 16. 17 *om. V.*

XIV, 3 delerum *RP*, delirum *V.* 4 ut derisorem (ut d. *bis V*) potius ridendum (deridendum *prius N*) ostenderet *NV.* 8 *om. V;* positae *per comp. script. in N.* intellegit *PR.* 9 novisseme *R.* victor sophus *Bong.*, v. Aesopus *PR*, vero Esopus *V.* 10 si tensum semper *N*, s. t. *illo* semper *om. V.* tenueris *V et ut puto N.* 11 laxaveris *V.*

Sic ludus animo debet aliquando dari,
Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

## XV.

### [CANIS AD AGNVM.]

Inter capellas agno palanti canis:
Stulte, inquit, erras: non est hic mater tua;
Ovesque segregatas ostendit procul.
Non illam quaero, quae, cum libitumst, concipit,
Dein portat onus ingratum certis mensibus,
Novissime prolapsam effundit sarcinam;
Verum illam, quae me nutrit admoto ubere
Fraudatque natos lacte, ne desit mihi.
Tamen illast potior, quae te peperit. Non itast.
Vnde illa scivit, niger an albus nascerer?
Age porro; parere si voluisset feminam,
Quid profecisset, cum crearer masculus?
Benficium sane magnum natali dedit,
Vt expectarem lanium in horas singulas!
Cuius potestas nulla in gignendo fuit,
Cur hac sit potior, quae iacentis miseritast
Dulcemque sponte praestat benivolentiam?
Facit parentes bonitas, non necessitas.
His demonstrare voluit auctor versibus
Obsistere homines legibus, meritis capi.

---

12 ludus — debet *Schefferus*. lusus debent *R ut vid.*, *P*, lusus debet *V*. 14 ad c. ut sic melior (molliter *V*) r. *om.* tibi *NV*.

XV, 1 palanti *Praschius*, ballanti *PR*, balanti *V*, vaganti *Rom.* 2 hic *V*, haec *PR*. matre *V*. 5 dein *V*, deinde *PR*; fert *pro* portat *V*. ingratum *Bentl.*, ignotum *v*. 7 admodum ubere *V*. 9 est *om. V*, *item* te. 10 nasceretur *V*. 11, 12 parere — pro *om. PR*, *origine erroris manifesta.* 12 fecisset *P*, fuisset *R*. 13 magnum sane *PR*. natale *PR*. 14 spectarem *PR*. expectarem *V*, exsp. *N*. lauium in ora *V*. 15 gygnendo *P*. 16 miserta est *N*, miseria est *V*. 17 benivolentiam *PRV*. 18 parentem *V*. nativitas *male Rom.* 19, 20 *om. V*. 20 legibus *v*, legimus *P*.

## XVI.

### [CICADA ET NOCTVA.]

Humanitati qui se non accommodat,
Plerumque poenas oppetit superbiae.
Cicada acerbum noctuae convicium
Faciebat, solitae victum in tenebris quaerere
Cavoque ramo capere somnum interdiu.
Rogatast, ut taceret. Multo validius
Clamare coepit. Rursus admota prece
Accensa magis est. Noctua ut vidit sibi
Nullum esse auxilium et verba contemni sua,
Hac est adgressa garrulam fallacia:
Dormire quia me non sinunt cantus tui,
Sonare citharam quos putes Apollinis,
Potarest animus nectar, quod Pallas mihi
Nuper donavit; si non fastidis, veni;
Vna bibamus: illaque arebat siti.
Simul cognovit vocem laudari suam,
Cupide advolavit. Noctu egressa e cavo
Trepidantem consectatast et leto dedit.
Sic viva quod negarat tribuit mortua

## XVII.

### [ARBORES IN DEORVM TVTELA.]

Olim quas vellent esse in tutela sua
Divi legerunt arbores. Quercus Iovi,
At myrtus Veneri placuit, Phoebo laurea,
Pinus Cybebae, populus celsa Herculi.

---

XVI, 1, 2 *om.* V. 3 convicium *B*, V, convitium *N*. 4 agebat V. 7 occepit V, occoepit *N*. 9 contemni data V. 10 garulam falacia V. fallatia *P*. 11 quoniam non V, quum non *N*. 12 *om.* V. citharam *Guiet.*, cithara *r*. putas *Bong.* Apollonis *prius P*. 13 potare est *PR*, potare si *N*, potaret si V. 15 bibam V. illaque *M*, illa quae *cdd.* arebat V. ardebat *PR*. 16 gaudebat *pro* cognovit V. 17 egressa e *p*, *N*, *si fides Orellio*, obsesso V; *om.* e *PRV*; *fortasse* ec.

XVII, 3 at *Heins.*, et *cdd.* myrtos *PR*, myrtus V. Poebo *PR*. laurus V. 4 Cybebae] Cibebe Neptuno *P*, Cybebae populus *addito super hoc voc. illo* Neptuno, *quod deinde est deletum*, *R*, Neptunno V.

Minerva admirans, quare steriles sumerent,
Interrogavit. Causam dixit Iuppiter:
Honorem fructu ne videamur vendere.
At mercules narrabit quod quis voluerit:
Oliva nobis propter fructumst gratior.
Tunc sic deorum coepit atque hominum sator:
O nata, merito sapiens dicere omnibus!
Nisi utilest quod facimus, stultast gloria.
Nil agere quod non prosit fabella admonet.

## XVIII.

### [PAVO AD IVNONEM DE VOCE SVA.]

Pavo ad Iunonem venit indigne ferens,
Cantus luscinii quod sibi non tribuerit:
Illum esse cunctis avibus admirabilem,
Se derideri, simul ac vocem miserit.
Tunc consolandi gratia dixit dea:
Sed forma vincis, vincis magnitudine;
Nitor smaragdi collo praefulget tuo
Pictisque plumis gemmeam caudam explicas.
Quo mi, inquit, istam speciem, si vincor sono?
Fatorum arbitrio partes sunt vobis datae:
Tibi forma, vires aquilae, luscinio melos,
Augurium corvo, laeva cornici omina.
Omnesque propriis sunt contentae dotibus.
Noli adfectare quod tibi non est datum,
Delusa ne spes ad querelam reccidat.

---

5 ammirans *PR*, *non V*. sterilis *V*. 6 Iuppiter *PR*. 7 honore fructum *PR*, *non V*. 8 mercules *M*, me hercules *V*, mehercule *PR*. narrabit *p*, narravit *PR*. inquit *pro* narrabit *V*. quisque *idem*. 9 fructum *m. sec. R*, fructus *P*, *R m. pr.*, *V*. 10 tum *V*. coepit *M*. gentium *PR*, genitor *V*. 13 *om. V*. nibil *cdd.* ammonet *R*, monet *P*.

XVIII. 1 p. Iunonem convenit *V*. 2 luscini *R*, luscinie *V*. 3 illum *etiam V*. avibus *V*, auribus *PR*. ammirabilem *PR*, *non V*. 4 simulato vocem *V*. 5 gratiam (graciam *P*) *PR sed in utroque* m *del. m. sec.*, gratia *V*. duxit *Rg*. 6 s. f. tu vincis et m. *V*. 7 smaragdi *B V*. 9 cur *V*. mihi *PRV*, mi *p*. istam *M*, mutam *PP*. mutam *om. V*. species *id.* 10 sunt vobis *etiam V*. 11 lusciniae *V*. nelos *idem*. 12 homina *PR m. pr.*, omnia *V*. 13 propiis *P*. dotibus *V*, vocibus *PR*. 15 delusam *V*, *non N*. reccidat *P m. pr.*, recidat *P m. sec.*, *R*, *V*.

## XIX.

### [AESOPVS RESPONDET GARRVLO.]

Aesopus domino solus cum esset familia,
Parare cenam iussus est maturius.
Ignem ergo quaerens aliquot lustravit domus,
Tandemque invenit, ubi lucernam accenderet.
Tum circum eunti fuerat quod iter longius
Effecit brevius: namque recta per forum
Coepit redire. Et quidam ec turba garrulus:
Aesope, medio sole quid cum lumine?
Hominem, inquit, quaero, et abiit festinans domum.
Hoc si molestus ille ad animum rettulit,
Sensit profecto se hominem non visum seni,
Intempestive qui occupato adluserit.

### [POETA.]

Supersunt mihi quae scribam, sed parco sciens;
Primum esse videar ne tibi molestior,
Distringit quem multarum rerum varietas;
Dein siquis eadem forte conari velit
Habere ut possit aliquid operis residui:
Quamvis materiae tanta abundet copia,
Labori faber ut desit, non fabro labor.
Brevitati nostrae praemium ut reddas, peto,
Quod es pollicitus: exhibe vocis fidem.

---

XIX, 1 cum esset solus *V*. 2 cenam *P*. 3 domus *PR;* domos a. l. *V*. 5 circum eunti *M*, circumeunti *v*. 7 ridere (redire *N*) quidam *NV*, redire et quidem *B* (*de R non constat*). ec *M*, est *P*, e *V*. et quidam e *ed. Broc.* 8 quid tu cum *PR*. *om.* tu *V*. 9 abiit *V*, abit *P et ut vid. R*. 10 rettulit *P*, retulit *V*. 12 *om.* *V*. illuserit *Gud.*

PHEDRI AVG. LIBERTI LIBER III EXPLICIT INCIPIT LIBER IIII *P*. Phaedri Aug. liberti liber III explicit. Incipit liber IIII *R*. *In fine libri huius et initio proximi recte collocarunt auctore Broterio docti carmina duo, quae leguntur post IV*, 26.

Poeta. *inser.* idem poeta *PR*. 2 videar ne tibi *Bentl.*, tibi ne videar *PR*. 3 distringit *Burm.*, destringit *PR*. 4 conare *PRg*. 6 nature *P*, naturae *R*, *corr. p.* 7 laboris *P m. sec.* 8 brevitati *Salmas.*, brevitatis *P*, *R ut vid.* praemium *p et fortasse R*, mium *supra addita deinde minoribus litteris syllaba* ni *P*. 9 exibe *P*, exhibe *v*.

Nam vita morti propior est cotidie,
Et hoc minus perveniet ad me muneris,
Quo plus consumet temporis dilatio.
Si cito rem perages, usus fiet longior:
Fruar diutius, si celerius coepero.
Languentis aevi dum sunt aliquae reliquiae,
Auxilio locus est: olim senio debilem
Frustra adiuvare bonitas nitetur tua,
Cum iam desierit esse benficium utile,
Et mors vicina flagitabit debitum.
Stultum admovere tibi preces existimo,
Proclivis ultro cum sit misericordia.
Saepe inpetravit veniam confessus reus:
Quanto innocenti iustius debet dari?
Tuae sunt partes; fuerunt aliorum prius;
Dein simili gyro venient aliorum vices.
Decerne quod religio, quod patitur fides,
Et graviter me tutare iudicio tuo.
Excedit animus quem proposuit terminum;
Sed difficulter continetur spiritus,
Integritatis qui sincerae conscius
A noxiorum premitur insolentiis.
Qui sint, requires; apparebunt tempore.
Ego quondam legi quam puer sententiam
'Palam muttire plebeio piaculumst',
Dum sanitas constabit, pulchre meminero.

10 proprior *P* (*de R non constat*). cotidie *PR*. 11 perveniet *Ursinus*, veniet *PR*. 13 scito (*ut puto pro* si cito, *non pro* cito) *prius P*, *de R non constat*. 14 coepero *PR*, cepero *Rittersh*. 18 desierit *p*. desideret *P*, desiderat *R*. beneficium utile *p*. beneficio utilius *PRg*, beneficium utilius *R test. Vinc.* 20 preces existimo *Gronov.*, preceps exis *P*, preces exis *R test. Vinc.*, preces exes *id. asser. Gud.*: preces est. Entyche, *Bentl.* 24 prius *in PR leg. post illud* aliorum, *quod est v.* 25: *in locum suum revocavit Gudius.* prius *ab ipso, ut videtur, librario deletum est in R.* 25 giro *R*. 26 relegio *prius P*. 27 graviter me tutare *docti*, gratulari me latere (*sive ut Gud. test.* tatare) *R*, et gratulari (gratulare *teste Bong.*) me tacere (*sive* tatere) *P*; et gratulari me fac *p*, *v*. 31 insolentis *PR*. 33 pueri *PR*. 34 muttire *P*, mutture *Rg*, mutire *Festus*, *Paulus pg.* 145, 144 *ed. M.* piaculum est *Festus*, *Paulus*, periculum est *PR*. 35 me-

# LIBER QVARTVS.

## [POETA AD PARTICVLONEM.]

Cum destinassem terminum operi statuere,
In hoc, ut aliis esset materiae satis,
Consilium tacito corde damnavi meum.
Nam siquis talis etiam titulist appetens,
Quo pacto mihi petitast materia undique,
Iam sedulo indagabit, quidnam omiserim,
Vt illud ipsum cupiat famae tradere,
Sua cuique cum sit animi cogitatio
Colorque proprius! Ergo non levitas mihi,
Sed certa ratio causam scribendi dedit.
Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis,
(Quas Aesopias, non Aesopi, nomino,
Quia paucas ille ostendit, ego plures fero,
Vsus vetusto genere, sed rebus novis)
Quartum libellum, cum vacarit, perleges.
Hunc obtrectare si volet malignitas,
Imitari dum non possit, obtrectet licet.
Mihi parta laus est, quod tu, quod similes tui
Vestras in chartas verba transfertis mea
Dignumque longa iudicatis memoria.
Inlitteratum plausum nec desidero.

---

minero *Bongars.*, memini *P*, memin. Ṛ *R teste Vinc.*, R. memin. *R asser. Gud.*

Poeta ad Part. operi statuere *Gud.*, operis habere *PR.* 3 meum *add. Bong.* 4 et. est tit. *cdd., corr. Bentl.* appetens *add. Freinshemius*, aemulus *Bentl.* 5. 6 *ita hunc l. supplerit M*, quo pacto damnabit q. o. *PR. commenta hom. doct. afferre non est tanti.* 7 illum *P*, *corr. Guiet.* cupiat *Guiet.*, cupiam *PR.* 8 quum sic *R.* 9 proprius *Rittersh.*, prior *PR.* 11 particula *PR*, *corr. p.* fabulis *idem*, fabulae *PR.* 12 Aesopias *PR.* 13 quia *Bentl.*, quasi *P*, quasi *mut. m. antiq. in* quas *R.* ostendirit *R test. Vinc.* fero *Bong.*, *Bentl.: delet hunc v. Guietus, fortasse recte. ceterum fuisse cum in arch. ostendit an. Wissemb., ap. quem legitur:* nam et veteres et paucae olim fuere fabulae; sed — adieci ex me novas. 14 usus *p*, usu *P.* 15 quum vacarit *Bentl.*, dum varie (variae *P*) *PR.* 16 obtraectare *P.* 19 transferetis *PR* (feretis *Rg*), *corr. p.* 21 inlitteratum *Sciopp.*, in litterarum *PR.* nec *Freinsh.*, ire *PR.*

## I.

### [ASINVS ET GALLI.]

Qui natus est infelix, non vitam modo
Tristem decurrit, verum post obitum quoque
Persequitur illum dura fati miseria.
Galli Cybebes circum in quaestus ducere
Asinum solebat baiulantem sarcinas.
Is cum labore et plagis esset mortuus,
Detracta pelle sibi fecerunt tympana.
Rogati mox a quodam, delicio suo
Quidnam fecissent, hoc iocati sunt modo:
Putabat se post mortem securum fore;
Ecce aliae plagae congeruntur mortuo.

## II.

### [POETA.]

Ioculare tibi videtur, et sane levi,
Dum nil habemus maius, calamo ludimus.
Sed diligenter intuere has nenias:
Quantam sub illis utilitatem reperies!
Non semper ea sunt, quae videntur: decipit
Frons prima multos: rara mens intellegit,
Quod interiore condidit cura angulo.
Hoc ne locutus sine mercede existimer,
Fabellam adiciam de mustela et muribus.
Mustela cum annis ec senecta debilis
Mures veloces non valeret adsequi,
Involvit se farina et obscuro loco
Abiecit neclegenter. Mus escam putans
Adsiluit et conprensus occubuit neci.

---

1 *inscr.* gallina *PR.* 4 Cybebes *PR.* in *add. Gud.* questus *PR.* 8 delicio suo *P m. pr.*, delicioso *id. m. sec.* 9 iocati *Heins.*, locuti *PR.* 11 mortui *PRg*, *corr. p.*

II, 1 leve *PR*, levi *Scheffer.* 2 nil *M*, nihil *Pv.* manu *PR*, *corr. p.* calomo *PR.* 4 sub illis *p*, subtilis *PR.* repperies *PR.* 5 decipit *p*, despici *PR.* 6 intellegit *PR.* 7 inferiore *PR*, *corr. Rittersh.* 8 loquutus *R.* 10 ec *M*, et *v.* 12 obcuro *P.* 13 nec legenter *PR.* 14 adsiluit *p*, adsilit *B.* conprensus *Rittersh.*, compressus *PR.*

Alter similiter periit, deinde et tertius.
Aliquot secutis venit et retorridus,
Qui saepe laqueos et muscipula effugerat;
Proculque insidias cernens hostis callidi:
Sic valeas, inquit, ut farina es, quae iaces!

## III.

## [DE VVLPE ET VVA.]

Fame coacta vulpes alta in vinea
Vvam adpetebat summis saliens viribus;
Quam tangere ut non potuit, discedens ait:
Nondum maturast; nolo acerbam sumere.
Qui facere quae non possunt verbis elevant,
Adscribere hoc debebunt exemplum sibi.

## IV.

## [EQVVS ET APER.]

Equus sedare solitus quo fuerat sitim,
Dum sese aper volutat, turbavit vadum.
Hinc orta lis est. Sonipes iratus fero
Auxilium petiit hominis, quem dorso levans
Rediit ad hostem. Iactis hunc telis eques
Postquam interfecit, sic locutus traditur:
Laetor tulisse auxilium me precibus tuis;
Nam praedam cepi et didici, quam sis utilis;
Atque ita coegit frenos invitum pati.
Tum maestus ille: parvae vindictam rei
Dum quaero demens, servitutem repperi.
Haec iracundos admonebit fabula
Impune potius laedi quam dedi alteri.

15 periit, deinde *Bentl.*, deinde perit *PR.* a. s. capitur, d. e. t. *Rom.* 16 ita *Rigalt.* aliquot (aliquod *P*) venit saeculis reterritus *PR*, *sed in hoc deleto voc.* reterritus *supra scr. ead. m.* retorridus, *in illo post* re *adiect. a librario* te.

III, 1 vulpis *PR.* 4 acervam *PRg*, acerbum *R.*

IV, 4 petit *PR.* petiit *p.* 5 rediit *id.*, redit *edd.* laetus iactis *PR*, *del.* laetus *p.* 6 interfecit *r*, interficit *B.* loquutus *R.* 10 maestus *r*, mestus *P.* 13 pocius *PRg.*

## V.

### [POETA.]

Plus esse in uno saepe quam in turba boni,
Narratione posteris tradam brevi.
Quidam decedens tres reliquit filias:
Vnam formosam et oculis venantem viros;
At alteram lanificam, frugi et rusticam;
Devotam vino tertiam et turpissimam.
Harum autem matrem fecit heredem senex
Sub condicione, totam ut fortunam tribus
Aequaliter distribuat, sed tali modo:
Ni data possideant aut fruantur; tum simul
Habere res desierint, quas acceperint,
Centena matri conferant sestertia.
Athenas rumor implet. Mater sedula
Iuris peritos consulit: nemo expedit,
Quo pacto non possideant, quod fuerit datum,
Fructumve capiant: deinde quae tulerint nihil,
Quanam ratione conferant pecuniam.
Postquam consumptast temporis longi mora,
Nec testamenti potuit sensus colligi,
Fidem advocavit, iure neclecto, parens.
Seponit moechae vestem, mundum muliebrem,
Lavationem argenteam, eunuchos, glabros:
Lanificae agellos, pecora, villam, operarios,
Boves, iumenta et instrumentum rusticum:
Potrici plenam antiquis apothecam cadis,
Domum politam et delicatos hortulos.
Sic destinata dare cum vellet singulis
Et adprobaret populus, qui illas noverat,

---

V. 5 lanificam, frugi et rusticam *Heins.*, lanificam (laneficam *R*) et frugi (fruci *Rg*) rusticam *PR*. 8 condicione] conditione *B*. 10 ni *PR*.
i. usque quo i. ut
10, 11 dum simul haberi *R m. sec.* 12 centenea *prius P.* conferant *mut. in* conferunt *P;* se tertia *idem.* 15 si non *PR*, *del.* si *p.* 16 deinde *in marg. m. ead.* vel de hiis (*pro* dehinc) *R.* 18 consumta est *PR.* 19 '*inter lineas in marg. ead. antiquissima m. notatur: in alio codice fuit* census' *Gud.; ipsi cod. perperam tribuit Vinc.* 20 nec lecto *P*, *non R.* 23 peccara *prius P.* 25 apotecam *P*.

Aesopus media subito in turba constitit:
O si maneret condito sensus patri,
Quam graviter ferret, quod voluntatem suam
Interpretari non potuissent Attici!
Rogatus deinde solvit errorem omnium.
Domum et ornamenta cum venustis hortulis
Et vina vetera date lanificae rusticae:
Vestem, uniones, pedisequos et cetera
Illi adsignate, vitam quae luxu trahit;
Agros et villam et pecora cum pastoribus
Donate moechae. Nulla poterit perpeti,
Vt moribus quid teneat alienum suis.
Deformis cultum vendet, ut vinum paret;
Agros abiciet moecha, ut ornatum gerat;
At illa gaudens pecore et lanae dedita
Quacumque summa tradet luxuriae domum.
Sic nulla possidebit, quod fuerit datum,
Et dictam matri conferent pecuniam
Ee pretio rerum, quas vendiderint singulae.
   Ita quod multorum fugit inprudentiam,
Vnius hominis repperit sollertia.

## VI.

### [PVGNA MVRIVM ET MVSTELARVM.]

   Cum victi mures mustelarum exercitu
(Historia quorum et in tabernis pingitur)
Fugerent et artos circum trepidarent cavos,
Aegre recepti tamen evaserunt necem.
Duces eorum, qui capitibus cornua

---

post 28 Aesopus *tituli instar add. in P.* 32 *fortasse* potissunt. 34 et *fortasse delendum.* ortulis *P*, hortulis *r.* 38 et villam *Bentl.*, utiles *PR.* peccora *P.* 42 abiciet *PR.* gerat *docti*, paret *edd.* 44 summae tradat luxoriae *PR*, *corr. p; deinde si recte capio verba Vinc., videtur fuisse in R prius* luxuriae domum, *deinde corr. m. eiusd. saec.* luxoriae demum. 46 edictam *PR*, *corr. p.* 47 ee *M*, et *P*, ex *r.* 49 sollertia] *ita P.*

VI, 2 et *add. Heins.*, *Bentl.* 3 artos *P.* 4 aegri *R*, *sed corr. m. ead.*

Suis ligarant, ut conspicuum in proelio
Haberent signum, quod sequerentur milites,
Haesere in portis suntque capti ab hostibus;
Quos immolatos victor avidis dentibus
Capacis alvi mersit tartareo specu.
   Quemcumque populum tristis eventus premit,
Periclitatur magnitudo principum:
Minuta plebes facili praesidio latet.

## VII.
### [PHAEDRVS.]

   Tu, qui, nasute, scripta destringis mea
Et hoc iocorum legere fastidis genus,
Parva labellum sustine patientia,
Severitatem frontis dum placo tuae,
Et in cothurnis prodit Aesopus novis.
   Vtinam non unquam Pelii nemoris iugo
Pinus bipinni concidisset Thessala!
Nec ad professae mortis audacem viam
Fabricasset Argus opera Palladia ratem,
Inhospitalis prima quae ponti sinus
Patefecit in perniciem Graium et barbarum!
Namque et superbi luget Aeetae domus,
Et regna Peliae scelere Medeae iacent,
Quae saevum ingenium variis involvens dolis
Illic per artus fratris explicuit fugam,
Hic caede patris Peliadum infecit manus,
   Quid tibi videtur? Hoc quoque insulsumst, ais,
Falsoque dictum; longe quia vetustior

---

13 plebis *PR: in hoc ex* plebis *factum* plebs.

VII *inscr.* Fedrus *P, non R.* 1 destringis *Rittersh.*, distringis *P.* 3 parva *Rigalt.*, par *P.* labellum *Bong.*, *Bentl.*, libellum *edd.* 4, 5 tuae. En, *Meursius.* 5 coturnis *PR.* nobis *PR*, *corr. p.* 6 non *M*, ne *PR;* nec *Bong.* Pelii *Salmas.*, Pelei *PR.* 7 bipenni *B; de R parum constat.* 9 opera Palladia *M*, opere Palladio *r.* 11 perniciem *r*, pernitiem *P.* 12 aetate *P*, Aëtae *ed. Broc.*, Aeetae *p.* 13 scelere *r*, scele *P.* 14 dolis *Heins.*, modis *PR.* 16 interfecit *PR*, *corr. p.* 17 ait *PR, corr. p.*

Aegaea Minos classe perdomuit freta
Iustique vindicavit exemplum imperi.
Quid ergo possum facere tibi, lector Cato,
Si nec fabellae te iuvant nec fabulae?
Noli molestus esse omnino litteris,
Maiorem exhibeant ne tibi molestiam.
  Hoc illis dictumst, qui stultitia nausiant
Et ut putentur sapere caelum vituperant.

## VIII.

### [SERPENS AD FABRVM FERRARIVM.]

  Mordaciorem qui inprobo dente adpetit,
Hoc argumento se describi sentiat.
  In officinam fabri venit vipera.
Haec cum temptaret, siqua res esset cibo,
Limam momordit. Illa contra contumax:
Quid me, inquit, stulta, dente captas laedere,
Omne adsuevi ferrum quae conrodere?

## IX.

### [VVLPIS ET CAPER.]

  Homo in periclum simul ac venit callidus,
Reperire effugium quaerit altrius malo.
  Cum decidisset vulpes in puteum inscia
Et altiore clauderetur margine,
Devenit hircus sitiens in eundem locum;
Simul rogavit, esset an dulcis liquor

---

19 aegre aminos *P*, *corr. p.* 20 instique vindicavit exemplum imperi *Heins.*, instoque vindicavit exemplo imperium *PR.* 21 lector Cato *p*, lecte reato *P*, lecte re (*fin. versus*) ato *R.* 22 fabella te iubant *PR*, iuvant *P m. sec.*, fabellae te iuvant *r.* fubulae *P.* 25 qui st. *Bong.*, si qui stultitiam *PR*, *sed in R* tiam *est deletum.* nauseant *R.*

VIII, 1 mordatiorem *PR.* 2 discribi *R.* 4 temtaret *PR.* cibo *Bentl.*, cibi *PR.* 7 conrodere *PR.*

IX *inscr.* v. 1 *in PR* (*cf. not. Rig.*) *tituli instar est:* in periculum simul ac venit callidus vulpis et caper. v. 1 homo simul ac venit in magnum periculum; *corr. Gud.* 2 repperire *PR.* r. e. q. alterius (altrius *M*) *Bentl.* repp. e. a. q. *P*, *R teste Gud. et Rig.;* a. repp. e. q. *R test. Vinc.* 3 vulpis *PR.* 4 altiorae *P.* claderetur *Rg.* 5 hyrcus *P* (*de R non constat*).

Et copiosus? Illa fraudem moliens:
Descende, amice; tanta bonitas est aquae,
Voluptas ut satiari non possit mea.
Inmisit se barbatus. Tum vulpecula
Evasit puteo, nixa celsis cornibus,
Hircumque clauso liquit haerentem vado.

## X.

### [DE VITIIS HOMINVM.]

Peras inposuit Iuppiter nobis duas:
Propriis repletam vitiis post tergum dedit,
Alienis ante pectus suspendit gravem.
Hac re videre nostra mala non possumus;
Alii simul delinquunt, censores sumus.

## XI.

### [FVR ET LVCERNA.]

Lucernam fur accendit ex ara Iovis,
Ipsumque conpilavit ad lumen suum.
Onustus sacrilegio cum discederet,
Repente vocem sancta misit Religio:
Malorum quamvis ista fuerint munera
Mihique invisa, ut non offendar subripi,
Tamen, sceleste, spiritu culpam lues,
Olim cum adscriptus venerit poenae dies.
Sed ne ignis noster facinori praeluceat,
Per quem verendos excolit pietas deos,
Veto esse tale luminis commercium.
Itaque hodie nec lucernam de flamma deum
Nec de lucerna fas est accendi sacrum.
Quot res contineat hoc argumentum utiles,
Non explicabit alius, quam qui repperit.

---

10 vulpicula *PR*, *corr. p.* 12 hurcumque *Rg.*

X, 1 Iuppiter *PR.* 5 delinqunt *B.*

XI, 3 on. qui sacr. *P*, *R ut vid.*, *del.* qui *Iohnsonus.* quum *R.* 4 sanctam *PR*, sancta *p.* 5 munere *PR*, *corr. p.* 8 poena *P*, paena *R*, *corr. p.* 10 colendos *in P esse testantur Pith. et Bong.*, *negat B.* 12 itaque *PR.* lucerna *PR*, lucernam *p.* 14 quod *PR*, quot *p.*

Significat primo saepe, quos ipse alueris,
Tibi inveniri maxime contrarios;
Secundo ostendit scelera non ira deum,
Fatorum dicto sed puniri tempore;
Novissime interdicit, ne cum malfico
Vsum bonus consociet ullius rei.

## XII.

### [MALAS ESSE DIVITIAS.]

Opes invisae merito sunt forti viro,
Quia dives arca veram laudem intercipit.
Caelo receptus propter virtutem Hercules
Cum gratulantes persalutasset deos,
Veniente Pluto, qui Fortunaest filius,
Avertit oculos. Causam quaesivit pater.
Odi, inquit, illum, quia malis amicus est
Simulque obiecto cuncta corrumpit lucro.

## XIII.

### [HOMINES DVO, MENDAX ET VERAX, ET SIMII.]

Vtilius nil esse homini quam recte loqui
Probanda cunctis est quidem sententia,
Sed ad perniciem solet agi sinceritas.

* * *

## XIV.

### [DE LEONE REGNANTE.]

Cum se ferarum regem fecisset leo
Et aequitatis vellet famam consequi,
A pristina deflexit consuetudine
Atque inter illas tenui contentus cibo

18 secundo *Rigalt.*, secundum *PR.* 18, 19 *inverso ordine leg. in PR, corr. p.* 21 consotiet *PRg.*

XII, 3 coelo *P ut vid., de R non constat.* Herculis *R.* 5 venienti *PR, corr. p.* Pluto, *mutatum in* Plutone *P*, Pluto *R ut vid.*

XIII inscr. *add. M.* 1 nihil esse h. *Bentl.*, n. est h., *mutat. in* h. n. est *R*, h. n. est *P.* 3 perniem *Rg.* *post* v. 3 *lacunam indicavit M; idem post hunc collocavit inscr., quae v. leg. ante* 1.

XIV. 1 rege *P*, *Rg* (*utor editione Burmanni a.* 1778), rege *cum lin. idem teste Orell.*

Sancta incorrupta iura reddebat fide.
Postquam labare coepit paenitentia

* * *

## XV.
### [PROMETHEVS.]

* * *

A fictione veretri linguam mulieris.
Adfinitatem traxit inde obscenitas.

## XVI.
### [IDEM.]

Rogavit alter, tribadas et molles mares
Quae ratio procreasset? Exposuit senex:
Idem Prometheus; auctor vulgi fictilis,
Qui simul offendit ad fortunam frangitur,
Naturae partis, veste quas celat pudor,
Cum separatim toto finxisset die,
Aptare mox ut posset corporibus suis,
Ad cenamst invitatus subito a Libero.
Vbi inrigatus multo venas nectare
Sero domumst reversus titubanti pede.
Tum semisomno corde et errore ebrio
Adplicuit virginale generi masculo
Et masculina membra adposuit feminis.
Ita nunc libido pravo fruitur gaudio.

## XVII.
### [DE CAPRIS BARBATIS.]

Barbam capellae cum inpetrassent ab Iove,
Hirci maerentes indignari coeperunt,

---

6 lavare *PR*, *corr. Bong.* cepit penitentia *P*, coepit poenitentia *R ut vid.*

XV inscr. Prometheus *add. docti.* vv. 1, 2 *segregarunt a praecedentibus idem.* 2 obscenitas *P*.

XVI, 1 trivadas *PR*. 3 *puto* futtilis. 5 partis *PR*. vestae *idem*, *corr. p.* 8 ad cenam est *P*. i. ut s. a liberto *P*, *corr. p.* 12 virginali *PR*, virginale *p.* 13 adposuit *M*, applicuit *PR*.

XVII inscr. capreis *PR*. 2 merentes *P*.

Quod dignitatem feminae aequassent suam.
Sinite, inquit, illas gloria vana frui
Et usurpare vestri ornatum muneris,
Pares dum non sint vestrae fortitudini.
Hoc argumentum monet, ut sustineas tibi
Habitu esse similes, qui sint virtute inpares.

## XVIII.

### [DE FORTVNIS HOMINVM.]

Cum de fortunis quidam quereretur suis,
Aesopus finxit consolandi gratia:
Vexata saevis navis tempestatibus
Inter vectorum lacrimas et mortis metum,
Faciem ad serenam subito ut mutatur dies,
Ferri secundis tuta coepit flatibus
Nimiaque nautas hilaritate extollere.
Factus periclo tum gubernator sophus:
'Parce gaudere oportet et sensim queri.'
Totam aeque vitam miscet dolor et gaudium.

## XIX.

### [CANVM LEGATI AD IOVEM.]

Canes legatos olim misere ad Iovem,
Meliora vitae tempora oratum suae,
Vt sese eriperet hominum contumeliis,
Furfuribus sibi conspersum quod panem darent
Fimoque turpi maxime explerent famem.

---

3 femine *P*; *fortasse* femina aequasset. 6 fortitudini *Rittersh.*, fortitudine *R*, fortitudinis *P*. 8 sint *P*, *de R non satis constat*, sunt *Bentl. alii.*

XVIII, 2 consulandi *PR*. 5 ut *add. Bong.* 7 nimia quae *P*. 8 periclo *p*, periculosis *P*, periculo sis *lineola addita supra* sis *R*. sophos *Rg*. 10 totam aeque *Heins.*, totam quae *P*. totamque *Rg*.

XIX inscr. canes legatos *PR*. 2 m. v. t. *Ursinus*, melioris vitae tempus *PR*. 3 ut *Burm.*, uti *P*. eriperet *Gud.*, abriperet *P*, *R test. Vinc.*, ariperet *R asser. Gudio.* 4 furforibus *PR*. conspersum *idem;* confertum *Heins.* daret *PR*. darent *r*. 5 maxime *M*, maximam *PR*.

Profecti sunt legati non celeri pede,
Dum naribus scrutantur escam in stercore.

* * *

Citati non respondent. Vix tandem invenit
Eos Mercurius et turbatos adtrahit.
Tum vero vultum magni ut viderunt Iovis,
Totam timentes concacarunt regiam;
Propulsi vero fustibus vadunt foras.
Vetat dimitti magnus illos Iuppiter.
Mirati sibi legatos non revertier,
Turpe aestimantes aliquid commissum a suis
Post aliquod tempus alios adscribi iubent.
Rumor legatos ut priores prodidit,
Timentes rursus aliquid ne simile accidat,
Odore canibus anum replent sedulo,
Mandant et, orent, ut dimittantur statim.
Abeunt. Rogantes aditum continuo inpetrant.
Consedit genitor tum deorum maximus
Quassatque fulmen: tremere coepere omnia.
Canes confusi, subitus quod fuerat fragor,
Repente odorem mixtum cum merdis cacant.
Reclamant omnes, vindicandam iniuriam.
Sic est locutus ante poenam Iuppiter:
Legatos non est regis non dimittere,
Nec est difficile poenas culpae inponere;
Sed hoc feretis pro iustitia praemium:
Non veto dimitti, verum cruciari fame,
Ne ventrem continere non possint suum.
Illi autem, qui miserunt vos tam futtiles,

*post v. 7 aliquid deesse vidit Meursius.* 13 Iuppiter *P.* 14 mirari *PR, corr. p.* revertier] *expunct. a libr.* er *in P.* 15 aliquod *PR.* commisum *P.* 16 adsciri *Rg.* 17 legatos ut priores *Burmannus,* l. superiores *cdd.* 19 replent sedulo *Langenius,* sedulo replent *Bothius:* sat multo *Baehrensius, Spengelius, Zornius;* sed multo r. *cdd.* 20 *ita M;* mandant dimittuntur statim *PR.* 21 abeunt *Schefferus,* adeunt *cdd.* 24 canis *m. pr. Rg.* confusi, subitus *Gud.,* confusus subito *PR.* 25 mixto *cdd., corr. p.* 27 loquutus *R.* 28 legatos non est *Gud.,* non est legatos *PR.* 30 iustitia *Gud.,* indicio *PR.* 33 futtiles *P.*

Numquam carebunt hominum contumelia.
[Ita nunc legatos expectantes posteri,
Novum venire cum videt, culum olfacit.]

## XX.

### [SERPENS. MISERICORDIA NOCIVA.]

Qui fert malis auxilium, post tempus dolet.
Gelu rigentem quidam colubram sustulit
Sinuque fovit, contra se ipsum misericors;
Namque ut refectast, necuit hominem protinus.
Hanc alia cum rogaret causam facinoris,
Respondit: nequis discat prodesse inprobis.

## XXI.

### [VVLPIS ET DRACO.]

Vulpes, cubile fodiens, dum terram eruit
Agitque pluris altius cuniculos,
Pervenit ad draconis speluncam intimam,
Custodiebat qui thensauros abditos.
Hunc simul aspexit, oro ut inprudentiae
Des primum veniam; deinde si pulchre vides,
Quam non conveniens aurum sit vitae meae,
Respondeas clementer: quem fructum capis
Hoc ex labore, quodve tantumst praemium,
Vt careas somno et aevum in tenebris exigas?
Nullum, inquit ille, verum hoc a summo mihi
Iove adtributumst. Ergo nec sumis tibi
Nec ulli donas quicquam? Sic fatis placet.
Nolo irascaris, libere si dixero:

34 hominum *Schefferus*, hominis *PR*. 35, 36 *secl. Burm. in ed. a.* 1727. 35 posteros *P*, *non R*.

XX, 1 tepus *P*. 3 ipsum *Harius*, ipse *v*. 4 necuit *p*, nocuit *PR*.

XXI *inscr.* vulpis *PR;* vulpes *v*. *vv*. 16—26 *ante v*. 1 *collocati in N*. 1 vulpes *N ut. vid.*, vulpis *PR*. 2 pluris *N*, plures *P*. 3 intimam *N*, ultimam *PR*. 4 thesauros *edd.*, *ut vid.* 6 veneam *P m. pr.* 8 rapis *N*. 9 quod ventum est *R*. 11 a summo *expr. ap. Iann.*, ab s. *N ass. Orell.*, sommo *P*. '*ex correctione* a summo. *recte*' *B; de R non constat.*

Dis est iratis natus, quist similis tibi.
Abiturus illuc, quo priores abierunt,
Quid mente caeca miserum torques spiritum?
Tibi dico, avare, gaudium heredis tui,
Qui ture superos, ipsum te fraudas cibo,
Qui tristis audis musicum citharae sonum,
Quem tibiarum macerat iocunditas,
Obsoniorum pretia cui gemitum exprimunt,
Qui dum quadrantes aggeras patrimonio
Caelum fatigas sordido periurio,
Qui circumcidis omnem inpensam funeri,
Libitina nequod de tuo faciat lucrum.

## XXII.

### [PHAEDRVS.]

Quid iudicare cogitet livor malus,
Licet dissimulet, pulchre tamen intellego.
Quicquid putabit esse dignum memoria,
Aesopi dicet; siquid minus adriserit,
A me contendet fictum quovis pignore.
Quem volo refelli iam nunc responso meo:
Sive hoc ineptum sive laudandumst opus,
Invenit ille, nostra perfecit manus.
Sed exsequamur coepti propositum ordinem.

15 dis *PR.* 21 iocunditas *PR.* *post hunc v. tituli instar* in avarum *leg. in PR.* 22 obsoniorum *P.*, ops. *Iann.* gemitus *N.* 23 quadrante augeas patrimonia *N.* 25 funeri *N*, funeris *PR.* 26 Libitina nequod] Libitina ne *N*, libet inane *PRg*, libetina ne *R test. Vinc.* quod *Schefferus*, quid *PRN.* lucri *N.* *post haec v. additur in N versus a Perotto fictus* fabellae nostrae parum aures accommoda.

XXII, v. 1—3 *ita exhibet scriptos V*

heu quantus est semper mortalium livor!
sunt qui quicquid putant dignum memoria.

1 cogitet livor *p*, cogitur libor *PRg.* malus *M*, modo *PR:* quo modo *Bothius.* 2 dissimulet *v*, dissimilet *P.* pulchrae *P.* intellego *PR.* 3 memoria *V*, memorie *P*, memoriae *Rg.* 4 dicunt *V.* artis erit *pro* adriserit *V*, *non N ut vid.* 5 contendunt *V.* 6 quem *N*, *mutatum in* quos; quos *V.* 7 fuit l. *V.* 9 *abest a V.* coepti *M*, coeptum *PR;* coeptum proposito ordine *Gud.*

## XXIII.

### [DE SIMONIDE.]

Homo doctus in se semper divitias habet.
Simonides, qui scripsit egregium melos,
Quo paupertatem sustineret facilius,
Circum ire coepit urbes Asiae nobiles,
Mercede accepta laudem victorum canens.
Hoc genere quaestus postquam locuples factus est,
Redire in patriam voluit cursu pelagio;
Erat autem, ut aiunt, natus in Cia insula.
Ascendit navem, quam tempestas horrida
Simul et vetustas medio dissolvit mari.
Hi zonas, illi res pretiosas colligunt,
Subsidium vitae. Quidam curiosior:
Simonide, tu ex opibus nil sumis tuis?
Mecum, inquit, mea sunt cuncta. Tunc pauci enatant,
Quia plures onere degravati perierant.
Praedones adsunt, rapiunt, quod quisque extulit,
Nudos relinquunt. Forte Clazomenae prope
Antiqua fuit urbs, quam petierunt naufragi.
Hic litterarum quidam studio deditus,
Simonidis qui saepe versus legerat
Eratque absentis admirator maximus,
Sermone ab ipso cognitum cupidissime
Ad se recepit; veste, nummis, familia
Hominem exornavit. Ceteri tabulam suam
Portant rogantes victum. Quos casu obvios

---

XXIII, 1 *om.* V. 4 circumire *cdd.* 5 laudes virorum V. 6 questus *PV*, *de R non constat.* factum *PR.* 7 venire *PR.* voluit *om. B*, *operarum haud dubie errore.* pelagi *PRV*, *corr. Bong.* 8 *om.* V. ut aiunt natus *Bong.*, natus ut aiunt *PR.* Cia *Lachm. ad Lucr. pg.* 160, Chia *R*, Schia *P.* *hunc v. a Phaedro abiudicat Orell.*, *fortasse recte.* 10 et *om.* V. dissiliuiit *id.* 11 hii *PR.* legunt V. 13 nil *Rigalt.*, nihil *P.* S. inquit tu nihil ex istos (istis *N*) sumis VN. 14 tam V. 15 nam V. perierant *PRg.* perierunt *N*, periere V. 17 nudo *P*, *non* V. Clazomene *PV*, *corr. p.* 18 natiqua (*sive* nati qua) *P*, nati qua *Rg.* 19 hac V. 20 verus *PRg.* 21 erat quae *P.* 22 ab *om.* V. 23 receptum V. nimis *pro* nummis *id.* 25 portant V, *ed. Broc.*, poriant *Rg*, porrigunt *rescriptis* r *priore*, g u *P.* obvios V, obvius *P. ed. Broc.*

Simonides ut vidit: dixi, inquit, mea
Mecum esse cuncta; vos quod habuistis, perit.

## XXIV.

### [MONS PARTVRIENS.]

Mons parturibat, gemitus inmanes ciens,
Eratque in terris maxima expectatio.
At ille murem peperit. Hoc scriptumst tibi,
Qui, magna cum minaris, extricas nihil.

## XXV.

### [FORMICA ET MVSCA.]

[Nil agere quod non prosit fabella indicat.]
Formica et musca contendebant acriter,
Quae pluris esset. Musca sic coepit prior:
Conferre nostris tu potes te laudibus?
Moror inter aras, templa perlustro omnia,
Vbi immolatur, exta praegusto deum.
In capite regis sedeo, cum visumst mihi,
Et matronarum casta delibo oscula.
Laboro nil atque optimis rebus fruor.
Quid horum simile tibi contingit, rustica?
Est gloriosus sane convictus deum,
Sed illi, qui invitatur, non qui invisus est.
Aras frequentas: nempe abigeris, cum venis.
Reges commemoras et matronarum oscula;
Super etiam iactas, tegere quod debet pudor.
Laboras nil ideoque, cum opus est, nil habes.

---

26 dixit *PRg.* 27 habuistis *Bentl.*, rapuistis *PRV.* periit *V.*

XXIV, 1 in mane sciens *R* (imma ne sciens *id. test. Gud.*). 2 *post illud* expectatio *add. in P*: quid ille pareret; *del. Rigalt.*

XXV, 1 *om. V. secl. Rigalt.* nihil *PR.* indicat] admonet *cdd.* III, 17, 13. 4 conferri *PRg.* 5, 6 *inverso ordine PRV, mutavit M; fortasse* perlustro deum, praegusto omnia. 9 nihil *cdd.* 10 contigit *V.* 11 glorioriosus *Rg.* plane *V.* coniunctus *V.* 12 illa *prius P.* 13—18 *hoc ordine scripti sunt in PRV* 16. 13. 18. 17. 14. 15; *corr. Bong.* 13 abieris *N*, aburis *V.* quom *M*, quo *PR*, quoque *V.* 15 debet *N*, decet *V*, debes *PR.* 16 laboras nil ideoque *M*, nihil laboras ideoque *V*, nihil l. ideo *PR.* cum opus est *om. V.* nihil habes *cdd.*

Ego granum in hiemem cum studiose congero,
Te circa murum pasci video stercore.
Aestate me lacessis; cum brumast, siles.
Mori contractam cum te cogunt frigora,
Me copiosa recipit incolumem domus.
Satis profecto rettudi superbiam.
  Fabella talis hominum discernit notas
Eorum, qui se falsis ornant laudibus,
Et quorum virtus exhibet solidum decus.

## XXVI.

### [POETA.]

  Quantum valerent inter homines litterae,
Dixi superius: quantus nunc illis honos
A superis sit tributus tradam memoriae.
  Simonides idem ille, de quo rettuli,
Victori laudem cuidam pyctae ut scriberet,
Certo conductus pretio secretum petit.
Exigua cum frenaret materia impetum,
Vsus poeta moris est licentia
Atque interposuit gemina Ledae pignera,
Auctoritatem similis referens gloriae.
Opus adprobavit; sed mercedis tertiam
Accepit partem. Cum relicuom posceret:
Illi, inquit, reddent, quorum sunt laudis duae.
Verum, ut ne irate te dimissum censeas,

17 congrego, *sed in marg. m. ead.* congero V. 19 cur bruma V. 21 incolomem *PR.* 22 rettudi *PRg*, retrudi *R test. Vinc.*, retudi V. 23—25 *om.* V. 25 exibet *P.*

XXVI, 1—3 *om.* V. 3 tributus et *P*, *delevit* et *p.* 4 S. ille supra de quo V. rettuli *docti*, retuli *PV.* 5 victoris *PR*, *non* V. laudes V. pietae *PR*, piete V, pyetae *N.* 6 conductus *Bentl.*, conduxit *cdd.* 7 frenaret *P*, fraenaret *R.* 8 poeta *Rittersh.*, poetae *PRV.* poetae ut m. *express. in ed. Bergeri, sed ut videtur falso.* u. p. more et l. est *N* (licentiae est V). 9 Ledae *r*, Laede *PR* pignera *M*, sidera *cdd.* 10 auctores apte (aptae *N*) *NV.* 11 adprobabit *P m. pr.*, *R.* 12 relicuom *M*, reliquum V, reliquam *PR.* 13 laudis *Scheffer.*, laudes *PR*, partes V. 14 demissum *P.* cénseas *Heins.*, sentiam *P. R ut vid.* v. ut sine ira te dimissum sentiant V.

Ad cenam mihi promitte: cognatos volo
Hodie invitare: quorum es in numero mihi.
Fraudatus quamvis et dolens iniuria,
Ne male dissimulans gratiam corrumperet,
Promisit. Rediit hora dicta, recubuit.
Splendebat hilare poculis convivium,
Magno adparatu laeta resonabat domus:
Repente duo cum iuvenes sparsi pulvere,
Sudore multo diffluentes, corpora
Humanam supra formam, cuidam servolo
Mandant, ut ad se provocet Simonidem:
Ipsius interesse, ne faciat moram.
Homo perturbatus excitat Simonidem.
Vnum promorat vix pedem triclinio,
Ruina camarae subito oppressit ceteros;
Nec ulli iuvenes sunt reperti ad ianuam.
Vt est vulgatus ordo narratae rei,
Omnes scierunt numinum praesentiam
Vati dedisse vitam mercedis loco.

### [POETA AD PARTICVLONEM.]

Adhuc supersunt multa, quae possim loqui,
Et copiosa abundat rerum varietas;
Sed temperatae suaves sunt argutiae,
Inmodicae offendunt. Quare, vir sanctissime,
Particulo, chartis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit pretium litteris,

15 cenam *P*. mihi promitte] mecum veni *V*. 18 dissimulans *M*, dimissam *cdd.* 19 redit *V*. 20 populis *V*. 21 *om. V*. 22 duo cum *N*, *Bentl.*, domino cum *V*, cum duo *PR*. 23 diffluentes *VP ed. Broc.* corpora *PRV*, corpore *Scheffer.* 24 speciem *N*: *ex V nihil notatum. fortasse* supera. servolo *P m. pr.*, *R*. 25 provocent *PR*, *non V*. 26, 27 *om. V*. 26 ipsius *M*, illius *cdd.* 27, 28 *inv. ordine leguntur in PR*, *corr. p.* 28 promorat *N*, premoret *V*, promoverat *PR*. 29 domus *pro* camarae *V*. 30 repperti *P m. pr.*, *R*. 31 narratae] variate *V*. 32 o. dixerunt *V*. nominum *R*.

Poeta ad Particulonem. *Hoc carmen quod in PR legitur post V, 5 huc revocavit Broterius.* 3 temperate *P*. 4 immodicae *Rittersh.*, immodica *PR*. 5 artis *PR*, *corr. p.* viturum *P*.

Si non ingenium, certe brevitatem adproba,
Quae commendari tanto debet iustius,
Quanto poetae sunt molesti validius.

---

## LIBER QVINTVS.

### [IDEM POETA.]

Aesopi nomen sicubi interposuero,
Cui reddidi iam pridem quicquid debui,
Auctoritatis esse scito gratia:
Vt quidam artifices nostro faciunt saeculo,
Qui pretium operibus maius inveniunt novis,
Si marmori adscripserunt Praxitelen suo,
Trito Myronem argento, tabulae Zeuxidem.
Adeo fucatae plus vetustati favet
Invidia mordax quam bonis praesentibus.
Sed iam ad fabellam talis exempli feror.

* * *

### I.

### [DEMETRIVS REX ET MENANDER POETA.]

* * *

Demetrius, qui dictus est Phalereus,
Athenas occupavit imperio inprobo.
Vt mos est vulgi, passim et certatim ruit
'Feliciter!' succlamans. Ipsi principes
Illam osculantur, qua sunt oppressi, manum,

7 adprobat *PR*, *corr. p.*

Liber quintus *add. p, om. cdd.* 2 reddi *PR*, *corr. p.* quidenie (*sic*) *P*. 4 seculo *P*, *de R non constat.* 5 novis *Bentl.*, novo (*sequitur* s) *cdd.* 6 Praxitelen *PR*. 7 trito *Salmas.*, detrito *R*, detrita *B*. tabulae Zeuxidem *Bentl.*, fabulae (fabule *P*) exandiant *cdd.*; *fortasse* t. Zeuxida. 8 fucatae *Bentl.*, fugatae *PRV* (*in Perotti ad Pyrrhum prologo*). vetustati *V Bentl.*, vetustis *PR*. 10 exemplo *Rg.* *post v.* 10 *lacunarum signa add. M.*

I, 1 D. rex — dictus est *R*. Phaloreus *V*. 2 Athonas *V*. 4 succlamans *Burm. teste Orell.*, succlamant *P m. pr.*, *RV*, subclamant *P m. sec.* principis *P m. pr.*, *R*.

Tacite gementes tristem fortunae vicem.
Quin etiam resides et sequentes otium,
Ni defuisse noceat, repunt ultimi;
In quis Menander, nobilis comoediis,
Quas ipsum ignorans legerat Demetrius
Et admiratus fuerat ingenium viri,
Vnguento delibutus, vestitu fluens,
Veniebat gressu delicato et languido.
Hunc ubi tyrannus vidit extremo agmine:
Quisnam cinaedus ille in conspectum meum
Audet venire? Responderunt proximi:
Hic est Menander scriptor. Mutatus statim:
Homo, inquit, fieri non potest formosior.

## II.

### [DVO MILITES ET LATRO.]

Duo cum incidissent in latronem milites,
Vnus profugit, alter autem restitit
Et vindicavit sese forti dextera.
Latrone occiso timidus accurrit comes
Stringitque gladium, dein reiecta paenula:
Cedo, inquit, illum; iam curabo sentiat,
Quos adtemptarit. Tunc qui depugnaverat:
Vellem istis verbis saltem adiuvisses modo;
Constantior fuissem vera existimans.
Nunc conde ferrum et linguam pariter futilem,
Vt possis alios ignorantes fallere.
Ego qui sum expertus, quantis fugias viribus,
Scio, quam virtuti non sit credendum tuae.

---

6 taciti *V*. 8 ni *R et Bongars. test. P*, nil *P asser. Berg.*, ne *V*. repunt *V*, repetunt *PRg*. 11 miratus *prius P*. 12 dilibutus *P*. fluens *N*, florens *V*, afluens *P*, affluens *R*. 13 gresso *PRg*. 15 cinedus *PRV*. in conspectu meo *PR*, *non V*. 17 mutato statu *V*. 18 *om. PR*.

II inscr. milites duo et latro *add. docti*, *om. PRV*. 1—2 *absunt a PR*. 3 vindicabit *PR*, *non V*. dextra *V*. 4 exciso *V*. 5 deinde *PRV*, *corr. p.* eiecta *V*. penula *VP* (*de R non const.*). 5 adtemtarit *PRg*, adtentarit *R test. Vinc.*, *quem equidem falli existimo;* attentavit *V*. 9 *om. V*. 10 futile *P*, *om.* futilem *V*. 11 ignoranter *V*. 12 e. q. s. e. quae sint vires tuae *V*. 13 quam *V*, quid *PR*. non *om. V*.

Illi adsignari debet haec narratio,
Qui re secunda fortis est, dubia fugax.

## III.
### [CALVVS ET MVSCA.]

Calvi momordit musca nudatum caput;
Quam premere captans alapam sibi duxit gravem.
Tunc illa inridens: punctum volucris parvulae
Voluisti morte ulcisci; quid facies tibi,
Iniuriae qui addideris contumeliam?
Respondit: mecum facile redeo in gratiam,
Quia non fuisse mentem laedendi scio.
Sed te; contempti generis animal inprobum,
Quae delectaris bibere humanum sanguinem,
Optem necare vel maiore incommodo.
Hoc argumentum venia mage dignum docet
Qui casu peccat quam qui consiliost nocens.
[Illum esse quavis dignum poena iudico.]

## IV.
### [ASINVS ET PORCELLVS.]

Quidam immolasset verrem cum sancto Herculi,
Cui pro salute votum debebat sua,
Asello iussit reliquias poni hordei.
Quas aspernatus ille sic locutus est:
Tuum libenter prorsus adpeterem cibum,
Nisi qui nutritus illost iugulatus foret.

---

14, 15 *om.* V.

III, 1 calvum V. 2 premere *M*, oppremere *P m. pr.*, *R*, opprimere *P m. sec.*, opprime V. 3 hunc illa illudens V. 5 qui addideris V, quia dederis *PR*. 7 nam non *N* (*e V nihil notatum*). 8 contemsi *PRg*, contenti (p above) V, *corr. p*. 10 optem carere V. 11—13 *om.* V. 11 argumentum *p*, argumento *PR*. v. mage dignum *sive* veniae magis aptum *M*, veniam dari *PR*. 13 *secl. M*. quavis *Rittersh.*, quamvis *PR*.

IV inscr. asini et porcelli *PR*. 1 quidam cum immolasset v. s. H. V. 2 cui V, qui *PR*. 3 relliquias *Rg*, *non VP*. ordei *PV*. 4 loquutus *R*. 5 tuum libenter prorsus *p*. l. (liberi ter *prius P*) t. pr. *PRg*; prorsus libenter *R teste Vinc.*, *quem puto lapsum*; l. istum p. V.

Huius respectu fabulae deterritus
Periculosum semper vitavi lucrum.
Sed dices: qui rapuere divitias, latent.
Numeremus agedum, qui deprensi perierunt.
Maiorem turbam punitorum reperies.
Paucis temeritas est bono, multis malo.

## V.

### [SCVRRA ET RVSTICVS.]

Pravo favore labi mortales solent
Et, praeiudicio dum stant erroris sui,
Ad paenitendum rebus manifestis agi.
Facturus ludos quidam dis et nobilis
Proposito cunctos invitavit praemio,
Quam quisque posset ut novitatem ostenderet.
Venere artifices laudis ad certamina;
Quos inter scurra, notus urbano sale,
Habere dixit se genus spectaculi,
Quod in theatro numquam prolatum foret.
Dispersus rumor civitatem concitat.
Paulo ante vacua turbam deficiunt loca.
In scaena vero postquam solus constitit
Sine adparatu, nullis adiutoribus,
Silentium ipsa fecit expectatio.
Ille in sinum repente demisit caput
Et sic porcelli vocemst imitatus sua.
Verum ut subesse pallio contenderent
Et excuti iuberent. Quo facto simul
Nil est repertum, multis onerant laudibus

7—12 *om.* V. 8 vitavi *P*, *R ut vid.* 9 dices *Heins.*, dicis *cdd.* latent *Wakefieldus*, habent *v.* 10 deprensi] deprehensi *P.* perierunt *PRg.* 11 repperies *P.* 12 bono est *PR, corr. p.*

V inscr. et *om. PR.* 1—3 *om.* V. 1 Pravo f. — labi V *in inscr.*, parvo f. lavi *PR.* 2 praeiudicio *Baehrensius*, pro indicio *v.* 4 q. dis et n. *M*, q. dives nobilis *PR*, dives q. et nobilis V. 6 posset V, possit *PRg.* n. faceret V. 8 sc. unus V. 11 convocat V. 12 vacuam *PR.* turba V. 13 scena *cdd.* 16 demisit V, dimisit *P.* 17 porcellum voce im. est sua V. 18 contenderet *PRV*, contenderent *expressum ap. Iann.* 19 iuberet V, *non PR.* 20 nil V, nihil *P.* laudibus V, lancibus *PR.*

Hominemque plausu prosecuntur maximo.
Hoc vidit fieri rusticus. Non mercules
Me vincet, inquit: et statim professus est
Idem facturum melius se postridie.
Fit turba maior. Iam favor mentes tenet,
Et derisuri, non spectaturi sedent.
Vterque prodit. Scurra degrunnit prior
Movetque plausus et clamores suscitat.
Tunc simulans sese vestimentis rusticus
Porcellum obtegere, (quod faciebat scilicet,
Sed, in priore quia nil compererant, latens)
Pervellit aurem vero, quem celaverat,
Et cum dolore vocem naturae exprimit.
Adclamat populus scurram multo similius
Imitatum et cogit rusticum trudi foras.
At ille profert ipsum procellum ec sinu,
Turpemque aperto pignore errorem probans:
En hic declarat, quales sitis iudices!

## VI.

### [CALVVS ET QVIDAM AEQVE PILIS DEFECTVS.]

Invenit calvus forte in trivio pectinem.
Accessit alter, aeque defectus pilis.
Heia! inquit, in commune quodcumquest lucri!
Ostendit ille praedam et adiecit simul:
Superum voluntas favit; sed fato invido

21 prosecuntur *P*, prosequuntur *V*. 22 fieri *V*. mercules *M*, me hercules *V*, mehercule *PR*. 23 vincit *V*. 24 post tridie *P*. 25 *om. B errore operarum.* favore *R*, *non V*. 26 *ita p;* et derisuros, non expectaturos (exspectaturos *R test. Vinc.*, spectaturos *idem asserente Gud.*) sit et *PR;* et derisurus non sequuturus (secuturus *N*) sedet *NV*, *exc. quod in hoc, si Mendelssohnii silentio fides, leg.* sedent. 27 degrunnit *N*, digrunnit *P*, degenerat *V*. 28 clamorem *V*. 29 tum *V*. rusticis *PR*, *non V*. 31 *om. V*. nil *r*, nihil *PR*. compererant *Rigalt.*, compererat *PR*. 32 aurem porco *V*. 34 acclama *V*. scurra *PR*, *non V*. 36 profert *V*, proferet *PR*. ec *M*, e *PR*, de *V*. sino *PR*. 37 e. exprobrans *V*. 38 en hic *V*, *P m. sec.*, cui hic *id. m. pr.* dedarat *P*.

VI *inscr.* aeque *om. edd.* 3 heia *P*. in *add. Gronov.*

Carbonem, ut aiunt, pro thensauro invenimus.
  Quem spes delusit, huic querelae concinet.

## VII.

### [PRINCEPS TIBICEN.]

  Vbi vanus animus aura captus frivola
Adripuit insolentem sibi fiduciam,
Facile ad derisum stulta levitas ducitur.
  Princeps tibicen notior paulo fuit,
Operam Bathyllo solitus in scaena dare.
Is forte ludis (non satis memini quibus)
Dum pegma rapitur, concidit casu gravi
Necopinus et sinistram fregit tibiam,
Duas cum dextras maluisset perdere.
Inter manus sublatus et multum gemens
Domum refertur. Aliquot menses transeunt,
Ad sanitatem dum venit curatio.
Vt spectatorum mollest et lepidum genus,
Desiderari coepit, cuius flatibus
Solebat excitari saltantis vigor.
  Erat facturus ludos quidam nobilis.
Vt rursus incipiebat Princeps ingredi,
Adducit pretio precibus, ut tantummodo
Ipso ludorum ostenderet sese die.
Qui simul advenit, rumor de tibicine
Fremit in theatro. Quidam adfirmant mortuum,
Quidam in conspectum proditurum sine mora.

6 thensauro *Rg*, thesauro *P*. 7 querele *P*, querela *ed. Broc.* concinet *M*, convenit *edd.*; querela convenit *r*.

VII *inscr.* Procax tibicen *PR*, *em. Bong.* 2 adripuit *Rigalt.*, abripuit *P*, arripuit *ed. Broc.* 3 stulta *p*, et stulta *PR*. 5 scena *p*, chena *PR*. 7 pecma *PR*. 8 nec opinus et *Nerdetus*, nec opia sed *PRg*; ne copia *ex R notat Vinc.*, *qui simul monet videri aliquid fuisse scriptum supra* copia, *quod drinceps esset deletum.* 11 aliquot m. transeunt *r*, aliquod m. transent *P*. 13 mollest *M*, mos est *edd.* 17, 18 ita *M*, *et similiter Bentl.*, *qui scripsit* et ut incipiebat posse Princeps ingredi inducit pr. prec.; et incipiebat Princeps abduci reum ingredi a se reducit praetio pretibus *P*, *nec aliter R excepto quod in eo legitur* reduci pretio precibus. 21 fremit *p*, fremet *P*.

Aulaeo misso, devolutis tonitribus
Di sunt locuti more translaticio.
Tunc chorus ignotum modo reducto canticum
Insonuit, cuius haec fuit sententia:
'Laetare, incolumis Roma, salvo principe!'
In plausus consurrectumst. Iactat basia
Tibicen; gratulari fautores putat.
Equester ordo stultum errorem intellegit
Magnoque risu canticum repeti iubet.
Iteratur illud. Homo meus se in pulpito
Totum prosternit. Plaudit inludens eques.
Rogare populus hunc coronam existimat.
Vt vero cuneis notuit res omnibus,
Princeps, ligato crure nivea fascia,
Niveisque tunicis, niveis etiam calceis,
Superbiens honore divinae domus,
Ab universis capitest protrusus foras.

## VIII.
### [TEMPVS.]

Cursu volucri, pendens in novacula,
Calvus, comosa fronte, nudo occipitio,
(Quem si occuparis, teneas; elapsum semel
Non ipse possit Iuppiter reprendere)
Occasionem rerum significat brevem.
Effectus impediret ne segnis mora,
Finxere antiqui talem effigiem Temporis.

23 au. m. *v*, auleo miso *P*. tonitribus *P m. sec.*, *R*, tronitribus *P m. pr.* 24 di *v*, dii *P*. 25 modo reducto *Gud.*, more ducto *R*: more dicto *mut. in* more ducto *P*. 26 insonuit *Freinshem.*, inposuit *P et ut vid. R*. 27 incolomis *PR*. 29 tybicen *P*. 30 intellegit *PR*. 32 illyd *P*. sem in *P*. 34 aestimat *PR*, *corr. p*. 36 legato *prius P*. 38 honore divinae *Gruterus*, honorem vidit divine (divinae *R*) *PR*. 39 protrusus *v*, protusus *P*.

VIII, 2 occipitio (*praecedit* o) *M*, *et ita Bipontini*, corpore *v*. 4 reprendere *Neveletus*, reprehendere *edd.*

## IX.

### [TAVRVS ET VITVLVS.]

Angusto in aditu taurus luctans cornibus
Cum vix intrare posset ad praesepia,
Monstrabat vitulus quo se pacto flecteret.
Tace, inquit; ante hoc novi, quam tu natus es.
Qui doctiorem emendat, sibi dici putet.

## X.

### [CANIS, SVS ET VENATOR.]

Adversus omnes fortis et velox feras
Canis cum domino semper fecisset satis,
Languere coepit annis ingravantibus.
Aliquando obiectus hispidi pugnae suis
Adripuit aurem: sed cariosis dentibus
Praedam dimisit. Hoc tunc venator dolens
Canem obiurgabat. Cui senex contra Lacon:
Non te destituit animus, sed vires meae.
Quod fuimus, lauda, si iam damnas quod sumus.
Hoc cur, Philete, scripserim, pulchre vides.

IX. 3 flecteret *Bong.*, plecteret *PR; anon. Wissemb.* 4 q. t. n. es *p.* q. n. es *P*, q. n. esses *R*, q. tu n. esses *an. Wiss.* '*in ms. fabula Aesopi recte legitur* quam tu natus es' *Gud.*

X *inscr.* canis et *PR.* sus *Orell.*, servus *PR.* et venator *P*, venator *R.* 1 fortis *p.* fortes *PR.* velox *Heins.*, veloces *PR.* 2 quum *p.* dum *PR* (tum *R test. Gud.*). ingrabantibus *PR.* 6 hoc *M*, hic *cdd.*, tunc *PRg.* 7 Lacon *Bentl.*, latrans *cdd.;* contra cui latrans senex *M.* 9 lauda si iam *Gud.*, laudas iam *PR.* 10 Ph. scr. *Gud.*, filite scripserim *P*, file descripserim (*prius ut vid.* te scripserim) *R.* pulchrae *P.*

Phaedri Aug. liberti liber quintus explicit feliciter *R.* '*Hic finitur liber quintus. nec quae sequuntur fabulae in eo leguntur additae. nec magis perierunt paginae, non ut possis credere aliquid perisse e libris ipsis.*' *Vinc.*

# APPENDIX.

## I.

## [SIMIVS ET VVLPES.]

[Avarum etiam quod sibi superest non libenter dare.]

Vulpem rogabat partem caudae simius,
Contegere honeste posset ut nudas nates.
Cui sic maligna: longior fiat licet,
Tamen illam citius per lutum et spinas traham,
Tibi quam partem quamvis parvam inpertiar.

## II.

## [AVCTOR.]

[Non esse plus aequo petendum.]

Arbitrio si natura finxisset meo
Genus mortale, longe foret instructius:
Nam cuncta nobis attribuisset commoda,
Quae cui Fortuna indulgens animali dedit:
Elephanti vires, et leonis impetum,
Cornicis aevum, cornua et tauri trucis,
Equi velocis placidam mansuetudinem,
Et adesset homini sua tamen sollertia.
Nimirum in caelo secum ridet Iuppiter,
Magno haec consilio qui negavit numinis,
Ne sceptrum mundi raperet nostra audacia.
Ergo contenti munere invicti Iovis
Fatalis annos decurramus temporis,
Nec plus conemur quam sinit mortalitas.

---

Appendix.

*Inscr. litteris capitalibus exaratus tales fere dedi, quales Iannellius in editione fabularum quae prodiit Neapoli a* 1811.

I, 2 posset *N*, posse *V*. 6 *ita M:* quam tibi impartiar parvum (impertiar *Iann.*, parvam *N*) quamvis partem *V*.

II, 2 foret *N*, feret *V*. 4 *ita M:* quaecumque F. i. *V*. 6 cornicis *Cassittus*, corpus in *V*. cornua et *M*, gloriam *V*. 8 *fortasse* et esset. solertia *V*. 9 Iupiter *V*. 10 *ita M;* haec qui negavit magno consilio hominis (hominibus *Iann.*) *V*. 13 decurramus *N*, decurrimus *V*. 14 sinit *N*, sicut *V*.

## III.

### [MERCVRIVS ET DVAE MVLIERES.]

[De eodem alia fabella.]

Mercurium hospitio mulieres olim duae
Inliberali et sordido receperant:
Quarum una in cunis parvum habebat filium,
Quaestus placebat alteri meretricius.
Ergo ut referret gratiam officiis parem,
Abiturus et iam limen excedens ait:
Deum videtis; tribuam vobis protinus,
Quod quaeque optarit. Mater suppliciter rogat.
Barbatum ut videat natum quam primum suum;
Moecha, ut sequatur sese quicquid tetigerit.
Volat Mercurius, intro redeunt mulieres.
Barbatus infans ecce vagitus ciet.
Id cum rideret forte meretrix validius,
Nares replevit humor, ut fieri solet.
Emungere igitur se volens prendit manu
Traxitque ad terram nasi longitudinem.
Sic aliam ridens ipsa ridenda extitit.

## IV.

### [PROMETHEVS ET DOLVS.]

[De veritate et mendacio.]

Olim Prometheus saeculi figulus novi
Cura subtili Veritatem fecerat,
Vt iura posset inter homines reddere.
Subito accersitus nuntio magni Iovis
Commendat officinam fallaci Dolo,
In disciplinam nuper quem receperat.
Hic studio accensus, facie simulacrum pari,

III, 1 olim *add. Cassittus, om. V.* 2 sordido *N*, sordida *V*. 5 referret *N*, preferret *V*. parem *Iann., om. V*, par . . *N*. 8 s. r. *Bothius*, s. regat *V*, supplicat ro . . . . *N*. 12 ciet *N*, erit, *sed in marg. m. ead.* ciet *V*. 13 *ita M:* i. c. f. metrix (meretrix *N*) ridet (rideret *Iann.*) validius *V*. 17 Sic *M*, et *V*. aliam *Bothius*, alium *V*.

IV, 1 seculi *V*. f. n. *Iann.*, n. f. *V*. 2 cura *V*, creta *N*. 4 accersitus *N*, acersitus *V*.

Vna statura, simile et membris omnibus,
Dum tempus habuit, callida finxit manu.
Quod prope iam totum mire cum positum foret,
Lutum ad faciendos illi defecit pedes.
Redit magister; quo festinanter Dolus
Metu turbatus in suo sedit loco.
Mirans Prometheus tantam similitudinem,
Propriae videri voluit artis gloriam.
Igitur fornaci pariter duo signa intulit;
Quibus percoctis atque infuso spiritu,
Modesto gressu sancta incessit Veritas;
At trunca species haesit in vestigio.
Tunc falsa imago atque operis furtivi labor
Mendacium adpellatumst; quod negantibus
Pedes habere facile et ipse adsentio.
Simulata interdum vitio prosunt hominibus,
Sed tempore ipso tamen apparet veritas.

## V.

### [AVCTOR.]

[Sensum aestimandum esse, non verba.]

Ixion quod versari narratur rota,
Volubilem fortunam iactari docet.
Adversus altos Sisyphus montes agens
Saxum labore summo, quod de vertice
Sudore semper inrito revolvitur,
Ostendit hominum esse infinitas miserias.
Quod stans in amne Tantalus medio sitit,
Avari describuntur, quos circumfluit

---

9 callida *N*, calida *V*. 10 mire *N*, misere *sed expuncto* se *V*. 12 rediit *Iann.* festinanter *Bothius*, festinante *V*. 20 imago *N*, mago *V*. 22 facile et ipse adsentio *M*. facile ipse consentio *V*. vv. 23, 24 *sequuntur aliquot carminibus interpositis et inscriptione tali:* nihil diu occultum; *in suum revocarit eos locum Bothius.* 23 vitio *Both.*, vitia *V*.

V *inscr.* extimandum *V*. 1 Irion *V*, Ixion *N*. qui versari . actat . . . o . . . *N*. 2 fortuna *N*. 3 agens *Iann.*, agit *V*. 5 irrito *V*. 6 *ita M*, *nisi magis placuerit hoc* sine fine ostendit esse humanas miserias; ostendit hominum sine fine miserias *V*.

Vsus bonorum, sed nil possunt tangere.
Vrnis scelestae Danaides portant aquas,
Pertusa nec complere possunt dolia:
Immo, luxuriae quicquid dederis, perfluet.
Novem porrectus Tityos est per iugera,
Tristi renatum suggerens poenae iecur:
Quo quis maiorem possidet terrae locum,
Hoc demonstratur cura graviore adfici.
Consulto involvit veritatem antiquitas,
Vt sapiens intellegeret, erraret rudis.

## VI.

### [AVCTOR.]

[De oraculo Apollinis.]

Vtilia nobis quae sint dic, Phoebe, obsecro,
Qui Delphos et formosum Parnasum incolis,
Quando sacratae vatis horrescunt comae,
Tripodes moventur, mugit adytis Religio,
Tremuntque lauri et ipse pallescit dies.
Voces resolvit icta Python numine:
Audite gentes Delii monitus dei:
Pietatem colite: vota superis reddite;
Patriam, parentes, natos, castas coniuges
Defendite armis, hostem ferro pellite;
Amicos sublevate; miseris parcite;
Bonis favete, subdolis ite obviam;
Delicta vindicate; cohibete inpios;
Punite turpi thalamos qui violant stupro;

10 scelestae *Zellius*, scelestas *V*. 12 immo *V*. quicquid *V*. dederis *N*, deris *V*. perfluet *N*, profluit *V*. 13 Tytios *V*. 14 tristis — pene *V*, *corr. Iann.* 15 quis *idem*, quisque *V*. 18 intelligeret *V*. erraret *N*, enaret *V*.

VI, 1 utilia n. quae sint *Froehlichius*, utilius n. quid sit *V*. 2, 3 incolis: quando *Iann.*, incolis qu . d *N*, i. quid o *V*; *fortasse* incolis. quid o! *sive* quid est? 4 tripodes — adytis *N*, tripodis — aditis *V*. 6 Python *M*, Phytou *N*, Phiton *V*. 7 D . . . . . . . gentes *N*. monitus *N*, montis (i) *V*. 10 ferro *Iann.*, ferroque *V*. 13 cohibete *Cassittus*, castigate *V*.

Malos cavete; nulli nimium credite.
Haec elocuta concidit virgo furens:
Furens profecto, nam quae dixit perdidit.

## VII.

### [AESOPVS ET SCRIPTOR.]

[De malo scriptore se laudante.]

Aesopo quidam scripta recitarat mala,
In quis inepte multum se iactaverat.
Scire ergo cupiens quidnam sentiret senex,
Numquid tibi, inquit, visus sum superbior?
Haud vana nobis ingeni fiduciast.
Confectus ille pessimo volumine:
Ego, inquit, quod te laudas vementer probo.
Namque hoc ab alio numquam continget tibi.

## VIII.

### [POMPEIVS MAGNVS ET EIVS MILES.]

[Quam difficile sit hominem nosse.]

Magni Pompei miles vasti corporis
Fracte loquendo et ambulando molliter
Famam cinaedi traxerat certissimam.
Hic insidiatus nocte iumentis ducis
Cum veste et auro et magno argenti pondere
Avertit mulos. Factum rumor dissipat;
Arguitur miles, rapitur in praetorium.
Tum Magnus: quid? ait, tune me, commilito,
Spoliare es ausus? Ille continuo excreat
Sibi in sinistram et sputum digitis dissipat.
Sic, imperator, oculi extillescant mei,
Si vidi aut tetigi. Tum vir animi simplicis
Id dedecus castrorum propelli iubet,
Nec cadere in illum credit tantam audaciam.

VII, 1 *ita M*, n. i. sum t. v. sup. *V*. 5 ingeni *M*, ingenii *V*. 7 vementer *M*; vehementer *V*. 8 nunquam *V*, *ut semp.*

VIII, 1 Pompeii *V*. 3 cynaedi *V*. certissimam *N*, *et ita V*; *sed in hoc prius fuerat* certissime. 8 ait *Bothius*, ais *V*. 9 exsreat *N*, excredit *V*. 12 tum *N*, tunc *V*.

Breve tempus intercessit, et fidens manu
Vnum ec Romanis provocabat barbarus.
Sibi quisque metuit; primi quin mussant duces.
Tandem cinaedus habitu, sed Mars viribus
Adit sedentem pro tribunali ducem,
Et voce molli: licet? enimvero eici
Virum ut in re atroci Magnus stomachans imperat.
Tum quidam senior ex amicis principis:
Hunc ego committi satius fortunae arbitror,
In quo iactura levis est, quam fortem virum,
Qui casu victus temeritatis te arguat.
Adsensit Magnus et permisit militi
Prodire contra: qui mirante exercitu
Dicto celerius hostis abscidit caput
Victorque rediit. His tum Pompeius super:
Corona, miles, equidem te dono libens,
Quod vindicasti laudem Romani imperi;
Sed extillescant oculi sic, inquit, mei,
Turpe illud imitans ius iurandum militis,
Nisi tu abstulisti sarcinas nuper meas.

## IX.

### [IVNO, VENVS ET GALLINA.]

[De mulierum libidine.]

Cum castitatem Iuno laudaret suam,
Iocunditatis causam non sprevit Venus,
Nullamque ut affirmaret esse ipsi inparem,

15 . . . . . . . . . ars . . . . rcessit *N*. manu fidens *V*, *corr. Iann.* 16 ec *M*, e *Orell.*, de *V*. 17 quin *add. M.* 18 cynedus *V*. arabus *sed in marg. m. pr.* viribus *V*; viribus *N*. 20, 21 eiici *NV*. virum *ad priorem v. adiunct. in NV; corr. Zellius;* in *fort. delend.;* eum vero eiici ut in re *Iann.* stomacans *V*. 23 committi satius *N*, comitis satis *V*. arbitror] *fortasse* aestimo. 25 casum *V*, casu *N*. 27 exercitu *N*, execratu *V*. 28 hostis *Iann.*, hosti *V*; *fortasse* a. hosti celerius dicto. 29 rediit *Iann.*, redit *V*. tum *N*, tunc *V*. 30 coronam *V*, *non N*. miles *Iann.*, militis *V*. 31 quia *Iann. in ed. Neap. a.* 1809. imperii *V*. 32 extillescant *V ut et v.* 11.

IX, 2 iocunditatis *V*. causam *Iann.*, causa *V*. sprevit *M*, repellit *V*. 3 ipsi inparem *M* (imparem *iam Orell.*), illi parem *V*.

Interrogasse sic gallinam dicitur:
Dic, sodes, quanto possis satiari cibo.
Respondit illa: quicquid dederis, satis erit,
Sic, ut concedas pedibus aliquid scalpere.
Ne scalpas, inquit, satis est modius tritici?
Plane, immo nimiumst, sed permitte scalpere.
Ex toto, nequid scalpas, quid desideras?
Tum denique illa fassast naturae malum;
Licet horreum patescat, ego scalpam tamen.
Risisse Iuno dicitur Veneris iocos,
Quia per gallinam denotavit feminas.

## X.

### [PATERFAMILIAS ET AESOPVS.]

[Quomodo domanda sit ferox iuventus.]

Paterfamilias saevum habebat filium.
Hic e conspectu cum patris recesserat,
Verberibus servos adficiebat plurimis
Et exercebat fervidam adulescentiam.
Aesopus ergo narrat hoc breviter seni:
Quidam iuvenco vetulum adiungebat bovem.
Is cum refugiens inpari collo iugum
Aetatis excusaret vires languidas:
Non est quod timeas, inquit illi rusticus;
Non ut labores facio, sed ut istum domes,
Qui calce et cornu multos reddit debiles.
Et tu nisi istum tecum assidue detines
Feroxque ingenium conprimis clementia,
Vide, ne querela maior accrescat domus.
Atrocitati mansuetudost remedium.

---

5 posses *V*, *non* *N*. 9 immo *N*, uno *V*. 12 patescat *sive* patefiat *M*, mihi pateat *V*; mi pateat *prius* *M*. 13 iocos *NV*. 14 denotarat *Burm.*

X, 1 paterfamilias *NV*. 2 *fortasse* ec. 4 et *om.* *V*, *non* *N*. adolescentiam *cdd.* 10 *fortasse* sed uti stum. 11 reddit *N*, reddis *V*. 12 s.. tu *N*, sic tu *Iann.* detines *Cassittus*, retines *cdd.* 13 comprimis *VN*. 14 *fortasse* domu.

## XI.

### [AESOPVS ET VICTOR GYMNICVS.]

[Quomodo comprimatur aliquando iactantia.]

Victorem forte gymnici certaminis
Iactantiorem cum vidisset Phryx sophus,
Interrogavit, an plus adversarius
Valuisset eius? Ille: ne istud dixeris;
Multo fuere vires maiores meae.
Quod, inquit, ergo, stulte, meruisti decus,
Minus valentem si vicisti fortior?
Ferendus esses, forte si te diceres
Superasse, melior qui fuisset viribus.

## XII.

### [ASINVS AD LYRAM.]

[Quomodo ingenia saepe calamitate intercidant.]

Asinus iacentem vidit in prato lyram.
Accessit et temptavit chordas ungula;
Sonuere tactae. Bella res, sed mercules
Male cessit, inquit, artis quia sum nescius.
Si repperisset aliquis hanc prudentior,
Divinis aures oblectasset cantibus.
Sic saepe ingenia calamitate intercidunt.

## XIII.

### [MVLIER VIDVA ET MILES.]

[Quanta sit inconstantia et libido mulierum.]

Post aliquot annos quaedam dilectum virum
Amisit et sarcophago corpus condidit:

---

XI, 1 v. f. *Iann.*, f. v. *V.* 2 Phryx sophus *Iann.*, Aesopus *V.* 3 an plus *Iann.*, ampliusne *V.* 4 eius *Orell.*, suus *V.* 7 fortiter[or] *V*, fortior *N.* 9 melior qui fuisset *M*, q. f. m. *Iann.*, qui esset melior *V.*

XII, 2 et *add. Iann.* cordas *V.* 3 sed mercules *M*, me hercules *V.* 4 inquit *docti*, ait *V.* 5 reperisset *edd.*

XII *inscr.* muliebris *N in indice.* 1 post *M*, per *V.*

A quo revelli nullo cum posset modo
Et in sepulchro lugens vitam degeret,
Claram assecutast famam castae mulieris.
Interea fanum qui conpilarant Iovis,
Cruci suffixi luerunt poenas numini.
Horum reliquias nequis posset tollere,
Custodes dantur milites cadaverum
Monumentum iuxta, mulier quo se incluserat.
Aliquando sitiens unus de custodibus
Aquam rogavit media nocte ancillulam,
Quae forte dominae tunc adsistebat suae
Dormitum eunti; namque lucubraverat
Et usque in serum vigilias produxerat.
Paulum reclusis foribus miles prospicit
Videtque et aegram et facie pulchra feminam.
Correptus animus ilico succenditur
Oriturque sensus inpotentis cupiditas.
Sollers acumen mille causas invenit,
Per quas videre posset viduam saepius.
Cotidiana capta consuetudine
Paulatim factast advenae submissior;
Mox artiore vinxit animum copula.
Hic dum consumit noctes custos diligens,
Desideratumst corpus ex una cruce.
Turbatus miles factum exponit mulieri.
At sancta mulier: non est quod timeas, ait,
Virique corpus tradit figendum cruci,
Ne subeat ille poenas neglegentiae.
Sic turpitudo laudis obsedit locum.

lu
4 sepulchro (l *ex* r *factum*) V. 1. v. d. *N*, v. degens d. V. 5 mulieris *M*, virginis *v*. 14 nam ut V. 15 vigilans V. produxerat *Both.*, perduxerat *cdd.* 17 et *add. M.* 18 correptus *M*, corruptus *cdd.* illico V. 19 oriturque *Froehlichius*, uriturque V. sensus (sensuum *Froehl.*) inpotentis *M*, sensim impudentis V. 20 solers V. causas *id., ut semp.* 21 posset V, possit *N*. viduam *docti*, viam V, . . . am *N*. 22 quotidiana V. 23 summissior V. 24 arctiore V. 25 desyderatum V. 28 mulier sancta, *sed corr. m. ead.* V., s. m. *N*. 29 corporis V, *non N*. 30 negligentiae V.

## XIV.

### [DVO IVVENES PROCI DIVES ET PAVPER.]

[Fortunam interdum praeter spem [atque expectationem] hominibus favere.]

Vnam expetebant virginem iuvenes duo;
Vicit locuples genus et formam pauperis.
Vt nuptiarum dictus advenit dies,
Amans dolorem quia non poterat perpeti,
Maerens propinquos contulit se in hortulos,
Quos ultra paulo villa ditis splendida
Erat acceptura virginem ec matris sinu,
Parum ampla in urbe visa quod fuerat domus.
Pompa explicatur, turba concurrit frequens,
Et coniugalem praefert Hymenaeus facem.
Asellus autem, qui solebat pauperi
Quaestum referre, stabat portae in limine.
Illum puellae casu conducunt sui,
Viae labores teneros ne laedant pedes.
Repente caelum Veneris misericordia
Ventis movetur, intonat mundi fragor
Noctemque densis horridam nimbis parit:
Lux rapitur oculis et simul vis grandinis
Effusa trepidos passim comites dissipat,
Sibi quemque cogens petere praesidium fuga.
Asellus notum proximum tectum subit
Et voce magna sese venisse indicat.
Procurrunt pueri, pulchram aspiciunt virginem
Et admirantur: deinde domino nuntiant.
Inter sodales ille paucos accubans
Amorem crebris avocabat poculis.
Vbi nuntiatumst, recreatus gaudiis

XIV *inscr.* proci] sponsi *Iann.* a. e. *om. ind. Neap.* 1 una *N.* expetebant *Iann.*, expeteb . . . *N*, expectabant *V.* 2 pauperis *N*, pau corperis *V.* 5 ortulos *V.* 6 ditis splendida *Both.*, splendidi divitis *V.* 7 ec *M*, e *v.* 10 praefert *Burm.*, prebet *V.* 12 referre *Iann.*, ferre *V.* 13 sui *Eyssenhardtius*, suae *V.* 17 parit *M*, parat *V.* 23 aspiciunt *ita V*; . . ffi . . . . . *N.* 27 recreatus *N*, recreatis *V.*

Hortante Baccho et Venere dulcis perficit
Aequalitatis inter plausus nuptias.
Quaerunt parentes per praeconem filiam;
Novus maritus coniuge amissa dolet.
Quid esset actum postquam populo innotuit,
Omnes favorem conprobarunt caelitum.

## XV.

### [AESOPVS ET DOMINA.]

[Quam noceat saepe verum dicere.]

Aesopus turpi cum serviret feminae,
Quae se expingendo totum tricaret diem,
Vestem, uniones, aurum, argentum sumeret,
Nec inveniret digito qui se tangeret:
Licetne paucis, inquit? Dicas. Censeo,
Quidvis efficies, cultum si deposueris.
Adeone videor tibi per me meliuscula?
Immo, ni dederis, sponda cessabit tua.
At non cessabunt latera, respondit, tua,
Et obiurgari iussit ferula garrulum.
Post paulo armillam tollit quidam argenteam.
Eam non apparere ut dictumst mulieri,
Omnes furore plena vocat et verbera
Proponit gravia, verum si non dixerint.
Aesopus, eius nil commotus vocibus,
Aliis minare, me quidem haud falles, ait,
Flagris sum caesus, verum quia dixi modo.

28 dulces *N*, *non V*.

XV, 2 tricaret *M*, intricabat *V*, intricaret *Orell.* 3 vestem *Burm.*, vestes *V*. summeret *V*, sum . . . . *N*. 7 v. t. p m. *M*, p. m. v. t. *V*, p. m. v. t. mellitula *Spengelius.* 8 immo *V*. ni *M*, nisi *V*; *fortasse* immo ista nisi des. 9 cessabit *Burm.*, cessavit *V*. 10 ferula *M*, ferulis *Both.*, servum *V*. 11 post paulo *Orell*, paullo post *V*. quidam *add. M*, *al.* fur. 12 eam *Iann.*, quam *V*. ut dictum est mulieri *VN*. 13 *ita M*; f. p. v. o. *V*. et verbera *Cassitt.*, ad verbera *V*. 14 proponit *V*, pro . . nit *N*. v. 15 *add. M*. 16 *ita M*, aliis minare, inquit, me non fallis (falles *V*) certe *NV*.

## XVI.

### [GALLVS LECTICA A FELIBVS VECTVS.]

[Nimiam securitatem saepe in periculum homines ducere.]

Feles habebat gallus lecticarios.
Hunc gloriosum vulpes ut vidit vehi,
Sic est locuta: moneo praecaveas dolum;
Istorum vultus namque si consideras,
Praedam portare indices, non sarcinam.

* * *

Postquam esurire societas coepit fera,
Discerpsit dominum et fecit partes facinoris.

## XVII.

### [SCROFA PARTVRIENS ET LVPVS.]

[Faciendum prius de homine periculum, quam eius te committas fidei.]

Premente partu scrofa cum gemeret iacens,
Accurrit lupus et obstetricis partibus
Se posse fungi dixit, promittens opem.
Quae vero nosset pectoris fraudem inprobi,
Suspectum officium repudiavit malfici
Et: satis est, inquit, si recedas longius.
Quodsi perfidiae se commisisset lupi,
Parens dolori, fata deflesset sua.

## XVIII.

### [AESOPVS ET SERVVS PROFVGVS.]

[Non esse malo addendum malum.]

Servus profugiens dominum naturae asperae
Aesopo occurrit notus ec vicinia.
Quid tu confusus? Dicam tibi clare, pater.

XVI, 1 lecticarios *Burm.*, lecticarius *V*. 2 gloriosum *M*. gloriosa *V*. 4 consyderas *V*. *post v.* 5 *lacunae signa posuit M*. 6 *ita M*; c. f. s. *edd.*

XVII *inscr.* commendes, *in marg.* committas *V*, committas *N*. 1 tremente *V*, *corr. Iann.* scropha *V*. 4 pectoris *Orell.*, pecoris *V*. 5 officum *V*, *non N*. 6 recedas *N*, recedis *V*. 8 parens dolori *Both.*, pari dolore *V*.

XVIII, 2 ec *M*, e *edd.*

(Hoc namque es dignus appellari nomine)
Tuto querela quia apud te deponitur.
Plagae supersunt, desunt mihi cibaria;
Subinde ad villam mittor sine viatico.
Domi si cenat, totis persto noctibus,
Sivest vocatus, iaceo ad lucem in semita.
Emerui libertatem, canus servio
(Vllius essem culpae mihi si conscius,
Aequo animo ferrem); numquam sum factus satur,
Et super infelix saevum patior dominium.
Has propter causas et quas longumst prodere
Abire destinavi, quo tulerint pedes.
Ergo, inquit, audi: cum mali nil feceris,
Haec experiris, ut refers, incommoda:
Quid si peccaris? quae te passurum putas?
Tali consiliost a fuga deterritus.

## XIX.

### [EQVVS QVADRIGALIS IN PISTRINVM VENVMDATVS.]

[Ferendum esse aequo animo, quidquid acciderit.]

Equum ec quadriga multis palmis nobilem
Abegit quidam et in pistrinum vendidit.
Productus ad bibendum cum foret a molis,
In circum aequales ire conspexit suos,
Vt grata ludis redderent certamina.
Lacrimis obortis: ite felices, ait,
Celebrate sine me cursu sollemnem diem;
Ego quo scelesta furis abstraxit manus,
Ibi sorte tristi fata deflebo mea.

5 *ita Iann.:* t. quia apud te quer. dep. *V*. 9 est *Cassitt.*, estu *V*, aestu *N* (*seq.* u). iaceo *Maius*, iacio *V* (*in N nihil praeter ultimum huius vocab. litterum est servatum*). 12 ferrem *N*, fortem *V*. 13 dominium *Orell.*, dominum *V*. 14 prodere *M*, pro . . . . *N*, *om. V*; promere *Iann.* 16 nihil *edd.*

XIX, 1 ec *M*, et *V*, e *Burm.* quadriga *Burm.*, quadrigam *V*. 6 lachrymis *V*. 7 solemnem *edd.* 8 abstraxit *Both.*, attraxit *V*.

## XX.

### [VRSVS ESVRIENS.]

[Famem acuere animantibus ingenium.]

Siquando in silvis urso desunt copiae,
Scopulosum ad littus currit et prendens petram
Pilosa crura sensim demittit vado:
Quorum inter villos cancri simul adhaeserunt,
In terram abripiens excutit praedam maris
Escaque fruitur passim collecta vafer.
Ergo etiam stultis acuit ingenium fames.

## XXI.

### [VIATOR ET CORVVS.]

[Verbis saepenumero decipi solere homines.]

Quidam per agros devium carpens iter
Ave exaudivit et moratus paululum,
Adesse ut vidit neminem, cepit gradum.
Iterum salutat idem ex occulto sonus.
Voce hospitali confirmatus restitit,
Vt, quisquis esset, par officium reciperet.
Cum circumspectans ore ita haesisset diu
Et perdidisset tempus aliquot milium,
Ostendit sese corvus et supervolans
Ave usque ingessit. Tum se lusum intellegens:
At male tibi sit, inquit, ales pessime,
Qui festinantis sic detinuisti pedes.

## XXII.

### [PASTOR ET CAPELLA.]

[Nil ita occultum esse, quod non reveletur.]

Pastor capellae cornu baculo fregerat:

XX *inscr.* famam *V*, *non N*. 2 *ita V*. pendens petra *Iann.* 3 demittit *Iann.*, dimittit *V*. 4 *ita M;* simul haeserunt cancri *V*. 5 abripiens *Both.*, arripiens *V*. 7 *om. V*. stultis *Iann.*, stulto *N*.

XXI *inscr.* h. d. sol. *N*. 4 sonat *N*. 7 ore ita *M*, orrore *V*, errore *N*. 8 aliquot *N*, aliquo$\overset{t}{s}$ *V*. 10 intelligens *V*. 11 tibi male *V*, *corr. Iann.;* a. p. i. *V*, *non N*. 12 male *pro* sic *V*, *non N*.

XXII *inscr.* nihil *V*, *non N*. ita *add. N in indice*, *V*, *om. hoc loco N*.

Rogare coepit, ne se domino proderet.
Quamvis indigne laesa reticebo tamen;
Sed res clamabit ipsa, quid deliqueris.

## XXIII.

### [SERPENS ET LACERTA.]

[Vbi leonis pellis deficit, vulpinam induendam esse, hoc est, ubi deficiunt vires, astu utendum.]

Serpens lacertam forte adversam prenderat;
Quam devorare patula cum vellet gula,
Arripuit illa prope iacentem surculum,
Et pertinaci morsu transversum tenens
Avidum sollerti rictum frenavit mora.
Praedam dimisit ore serpens irritam.

## XXIV.

### [CORNIX ET OVIS.]

[Multos lacessere debiles et cedere fortibus.]

Odiosa cornix super ovem consederat;
Quam dorso cum tulisset invita et diu:
Hoc, inquit, si dentato fecisses cani,
Poenas dedisses. Illa contra pessima:
Despicio inermes, eadem cedo fortibus;
Scio quem lacessam, cui dolosa blandiar;
Ideo senectam mille in annos prorogo.

## XXV.

### [SERVVS ET DOMINVS.]

[Nullum maledictum esse gravius conscientia.]

Cum servus nequam Socrati malediceret,
Vxorem domini qui corrupisset sui,

4 deliqueri, *una post* ri *littera rasa* V. deliqueris N.

XXIII *inscr.* insuendam V, *non* N. 1 prenderat N, prenderit V 4 tenens N, teneris (n *supra* ri) V. 5 solerti V.

XXIV, 1 cornix N, coniunx V. 3 hoc V, i . . N. 4 pessima N, pessimam V.

XXV, 2 corrupisset *Maius*, corripuisset V.

Idque ille sciret notum circumstantibus:
Places tibi, inquit, quia cui non debes places;
Sed non impune, quia cui debes non places.

## XXVI.

### [LEPVS ET BVBVLCVS.]

[Multos verbis blandos esse, pectore infideles.]

Cum celeri fugeret pede venatorem lepus
Et a bubulco visus veprem inreperet:
Per superos oro perque spes omnes tuas,
Ne me indices, bubulce; nil umquam mali
Huic agro feci. Et rusticus: ne timueris;
Late securus. Iamque venator sequens:
Quaeso, bubulce, numquid huc venit lepus?
Venit, sed abiit hinc ad laevam; et dexteram
Demostrat nutu partem. Venator citus
Non intellexit seque e conspectu abstulit.
Tunc sic bubulcus: ecquid est gratum tibi,
Quod te celavi? Linguae prorsus non nego
Habere atque agere maximas me gratias;
Verum oculis ut priveris opto perfidis.

## XXVII.

### [MERETRIX ET IVVENIS.]

[Multa esse nobis iocunda quae tamen sunt incommoda.]

Cum blandiretur iuveni meretrix perfida,
Et ille laesus multis saepe iniuriis
Tamen praeberet sese facilem mulieri,
Sic insidiatrix: omnes muneribus licet

---

XXVI *inscr.* esse et pectore *N hoc loco, om.* et *V et in indice N.* qui habet blanda verba. infidelis peccator (*l.* pectore) est *Rom.* 1 *ita M;* c. v. cel. p. f. *V; fortasse* c. v. celeriter f.; cum — fugeret — celeriter *Rom.* lupus *Rom., an Nil., et ita ubique.* 3 oro *add. Cassit., om. V,* oro te per omnes spes tuas *Rom.* 4 ne *N,* non *V.* nihil *edd.* 5 at *Burm.* timueris *Iann.,* timeret *V.* 8 hinc *M,* hac *V.* dexteram *N,* dextram *V.* 9 demostrat *V.* 10 *fort.* ec. 11 ecquid *N,* haec quid *V.* 13 me maximas *V, corr. Iann.*

XXVII *inscr.* nobis *om. N.* iocunda *V.*

Contendant, ego te plurimi facio tamen.
Iuvenis recordans quotiens deceptus foret:
Libenter, inquit, mea lux, hanc vocem audio,
Non quod fidelis, sed quod iocundast mihi.

## XXVIII.
### [FIBER.]

[Multi viverent, si salutis gratia parvi facerent fortunas.]

Canes effugere cum iam non potis est fiber,
(Graeci loquaces quem dixerunt castorem
Et indiderunt bestiae nomen dei,
Illi, qui iactant se verborum copia)
Abripere morsu fertur testiculos sibi,
Quia propter illos sentiat sese peti.
Divina quod ratione fieri non neges:
Venator namque simul invenit remedium,
Omittit ipsum persequi et revocat canes.
Hoc si praestare possent homines, ut suo
Vellent carere, tuti posthac viverent;
Haud quisquam insidias nudo faceret corpori.

## XXIX.
### [PAPILIO ET VESPA.]

[Non praeteritam sed praesentem aspiciendam esse fortunam.]

Papiliam vespam propter volitans viderat.
O sortem iniquam! dum vivebant corpora,
Quorum ex reliquiis animam nos accepimus,
Ego eloquens in pace, fortis proeliis,
Arte omni princeps inter aequales fui.
En cuncta! levitas putris et volito cinis!

---

6 direptus *V*, *non N*. 8 iocunda est *V*. 7 libenter *V*.

XXVIII, 1 Eanes *V*, *non N*. potis est *Both.*, possit *V*. feber *V*, *non N*. 4 se iactant *N*, *non V*. 5 ferunt *V*, *non N*. 6 se *V*, *corr. Iann.* 7 neges *M*, negem *N*, nêgent *V*. 9 revocat *M*, vocat *V*. 11 careret, uti *V*, *corr. Iann.*

XXIX, 1 propter volitans *M*, pretervolantem *V*; praetervolitans *Orell.* 3 *puto* ec. accipimus *V*, a . . . . . . . . *N*, *corr. Iann.* 4 eloquens *Iann.*, loquens *V*.

Tu qui fuisti mulus clitellarius,
Quemcumque visumst laedis infixo aculeo.
At vespa dignam moribus vocem extulit:
Non qui fuerimus, sed qui nunc simus, vide.

## XXX.

### [TERRANEOLA ET VVLPES.]

[Pravis non esse fidem adhibendam.]

Avis, quam dicunt terraneolam rustici,
In terra nidum quia conponit scilicet,
Forte occucurrit inprobae vulpeculae;
Qua visa pinnis altius se sustulit.
Salve. inquit illa', cur me fugisti, obsecro?
Quasi non abunde sit mihi in prato cibus,
Grilli, scarabaei, locustarum copia:
Nil est. quod metuas, ego te multum diligo
Propter quietos mores et vitam probam.
Respondit contra: tu fidem bene praedicas,
Quia non sum in campo, sed sub dio, par tibi.
Quin sequere: tibi salutem committo meam.

## XXXI.

### [AVCTOR.]

[De his qui legunt libellum ]

Hoc qualecumquest, Musa quod ludit mea,
Nequitia pariter laudat et frugalitas,
Sed haec simpliciter; illa tacite irascitur.

---

7 tu *N*, ꝗ tu *V*. 8 quemcunque *V*. 9 at *Sibelisius*, et *V*. extulit *M*, edulit *V*, edi . . . *N*, edidit *r*. 10 sumus *V*, *non N*.

XXX, 1 avis *N*, quis *V*. terraneolam *N*, terantulam *V*. 2 occurrit *V*, *corr. Iann.* 4 pinnis *M*, pennis *V*. 5 scurabaei *V*, *non N*. 8 nihil *V*. ego *V*, rogo *N*. 9 p. q. m., *ita V:* propter . s . . tos mores *N*. 10 tu quidem *V*, t . . . idem *N*, *corr. Both.* 11 *ita M;* non sum in campo par tibi, sed sum sub dio *V*.

XXXI *inscr.* iis *N*. 3 tacite *N*, tacita *V*. *Hoc carmen in cdd. positum est post fab. I; epilogum fecit totius sylloges Iann., prologum Both.; equidem epilogum fabulae deperditae libri quinti fuisse existimo.*

# PHAEDRI FABVLAE NOVAE.

## I.

### MVS ET RANA.

(Rom. I, 3. Dr. app. II, 5.)

Mus quo transire posset flumen facilius,
Auxilium petiit ranae; quae proprio pedi
Murem alligavit. Deinde fraudem moliens
In mediis subito sese submersit vadis,
Vt vitam eriperet comiti. Qui dum validius
Contendit contra, miluus praetervolans
Conspectum murem rapuit avidis unguibus,
Simulque et hunc et ranam secum sustulit.

Qui machinatur alteri periculum,
Cavere debet exitus meritis pares.

## II.

### MVS VRBANVS ET RVSTICVS.

(Rom. I, 12. Dr. app. II, 8.)

In paupertate potius tutum degere
Quam macerari rebus opulentum omnibus
Auctoris tale hortatur exemplum senis.

Hospitio quondam mus urbanus rustici
Receptus cenam sumpsit in tenui cavo.
Praebebat hospes solita ruris munera,
Avenas, acinos, hordeum cum glandibus.
Quibus alter pastus magno cum fastidio
Pervicit precibus, ut relictis sedibus
Vrbanam iniret secum vitam rusticus.
Venere in urbem et lautam subierunt domum
Cellamque intrarunt omnibus plenam bonis.
Ibi dum ciborum splendidis et rustico
Incognitis fruuntur una reliquiis,
Properus repellit ostium cellarius.

Diffugiunt mures, subita re perterriti;
Ex quis urbanus conditur latebris suis,
Trepidabat alter frustra quaerens exitus
Nova in domo, se morti credens proximum.
Vt tandem clausam liquit cellam vilicus,
Sic mus urbanus: iterum fruere his ferculis!
Nil iam verere! At perturbatus rusticus:
Tu, qui moveri nescis ad mortis metus,
Pascaris epulis talibus quotidie;
Me tutum ab hoste simplices victus alent.

## III.

### ASINVS DOMINO BLANDIENS.

(Rom. I, 16. Dr. app. II, 9.)

Vt vidit asinus domino blandiri suo
Largeque ab huius mensa satiari canem,
Dixisse fertur: si sic immundissimum
Vixque aptum ad usus diligit dominus canem:
Quanti illud aestimabit, si par fecero
Officium, qui sum rebus multis utilis
Potuque pariter et cibo mundo fruor!
Iam tandem, opinor, nostrae fortunae status
In melius vertet. Haec dum secum cogitat,
Intravit stabulum dominus: occurrit cito
Rudensque ambobus umeris imponit pedes
Gravatque corpus insueto pondere
Et maculat vestem ipsumque lambendo oblinit.
Clamore domini concitantur familia;
Arripiunt saxa et fustes, atque auritulum
Membris costisque fractis ad praesepia
Detrudunt semivivum. — Fabella admonet,
Melioris ne deterior officium occupet.

## IV.

### LEO ET MVS.

(Rom. I, 17. Dr. app. II, 4.)

Leone dormiente mures rustici
Lasciviebant; unus quorum de grege

Super cubantem forte saltu transiit.
Expergefactus quem leo celeri impetu
Corripuit: ille venia donari rogat,
Invitus quod peccasset imprudentia.
Leo, murem ulcisci gloriosum non putans,
Dimisit impunitum. Post paucos dies
In casses noctu dum vagatur decidit.
Agnovit ut se captum, voce maxima
Rugire coepit; cuius immanem ad sonum
Accurit mus et 'non est, quod timeas' ait;
'Tibi grates reddam accepto benficio pares';
Simulque nexus oculis lustravit plagae;
Cuius secare nervos coepit dentibus,
Tandemque solvit artus ingentis feri.
Sic mus leonem captum silvis reddidit.
Nequis minores spernat, exemplum hoc vetat.

## V.

### MILVVS AEGROTANS.

(Rom. I, 18. Dr. app. II, 1.)

Multos cum menses aegrotasset miluus
Et vix videret esse spem vitae sibi,
Matrem rogabat, sacra circum iret loca,
Et pro salute vota faceret filii.
Faciam, inquit; sed opem vereor ne non impetrem.
Qui, cum valeres, divum delubra omnia
Vastasti et cuncta polluisti altaria,
Quid effecturas iam preces credis meas?

## VI.

### AVES ET HIRVNDO.

(Rom. I, 19. Dr. app. II, 11.)

Aves cum linum cernerent agris seri
Nec rem curarent, convocatis omnibus
Hirundo verba sic fecisse traditur:
Magno in periclo nostra res versabitur,
Si semen iactum sinimus maturescere.
Ex huius nam proventu fient retia,

Quis pestem in nostram humanus utetur dolus.
Aves risere. Deinde ut fruticavit seges,
Hirundo rursus: instat pernicies, ait.
Nunc tandem germen eruamus noxium.
Iterum risere verba cunctae provida.
Vt vidit illa sperni consilium suum,
Hominum continuo fidei sese tradidit,
Sub quorum tectis tuta posthac degeret.
At quae salubre volucres monitum spreverant,
Ex lino factis captae pereunt retibus.

## VII.
### LEPORES ET RANAE.

(Rom. II, 9. Dr. app. II, 2.)

Qui sustinere non potest proprium malum,
Alios respiciens casus soletur suos.

Cum subito strepitu lepores essent territi,
Statuere, quo vitarent assiduos metus,
Aquis propinqui fluminis se mergere.
Venere ad ripam, quae frequens ranis erat:
Perculsae adventu cunctae necopino agminis
In fluvium sese coniecerunt protinus.
Lepus tunc unus: sunt et alii qui timent.
Sequamur vitam, ut ceteri, quam sors dedit.

## VIII.
### LVPVS ET HAEDVS.

(Rom. II, 10. Dr. app. II, 28.)

Pastum exitura fetum commonuit suum
Capella, necui panderetur ostium,
Circum ire stabula pecorum quod sciret feras.
Tunc silvam petiit. Paulo post venit lupus,
Et vocem assimulans matris: aperi, inquit, fores;
Lac namque apporto plenis uberibus tibi.
Haedus, per rimas ostii auscultans simul
Visusque captans: matris agnosco sonum,

Sed non figuram. Atque ipsa te recipi vetat,
Sub specie cuius nostrum quaeris sanguinem.

Quantum parere liberos parentibus
Expediat, tali demonstratur fabula.

## IX.
### SERVVS FVGITIVVS ET LEO.

(Rom. III, 1. Dr. app. II, 14.)

Adsidue quod iocemur fictis fabulis,
Tribuentes vocem nunc ferae, nunc arbori,
Rugosae frontis improbat severitas,
Oditque verum, quod cum risu dicitur.
Sed diligenter rerum causas inspice:
Natura in omni nosces affectus pares,
Odium atque amorem et cum tristitia gaudium.
Quodsi natura voce, ut homines, cetera
Donasset, dictis cerneres prudentibus
Feras certare cum sapientum pectore.
Quae ne dixisse videar imprudentius,
Eventum mirum, et quod vix credent posteri,
Aetatis huius memoriae mandabimus.

Assiduis domini servus vexatus minis
Aufugit in deserta. Dum lustrat loca,
Si forte victus aliquid praeberent sibi,
Absentis ad leonis pervenit specum.
Ibi dum moratur, ipsest ingressus ferus,
Horrendus visu et vastos rugitus ciens.
Contremuit servus, subito monstro exterritus,
Et quaerit latebras; verum ut conspexit leo,
Accedit supplex, leniter caudam atterens,
Pedemque ostendit, lugubres gemitus ciens.
Recepit animos servus; et iam maximam
Spinam leonis cernit in vestigio.
Evellit et fomentis, quae casus dabat,
Curavit vulneratum. Recreatus ferus
Cum servo eadem vixit per triennium
Spelunca et victum praebuit socio novo,

Opimiora semper praedae suggerens.
Tandem homo, ferinae vitae motus taedio,
Ad cultiora rettulit sese loca.
Brevique captus atque in urbem abductus est
Ad dominum, qui curavit dandum ad bestias.
Spectaclum in circo praebebatur maximum,
Insigne bestiarum et numero et viribus,
Quas omnes unus multum vincebat leo,
Immanis specie et vultu feritatem indicans.
Qui servo immissus subito continuit pedem,
Stetitque velut admirans; tum placido gradu
Accessit et permulsit lingua leniter
Iam semivivum. Qui simul posuit metus,
Leonem agnovit, opera sanatum sua,
Etiam quem Romam traxerat captivitas.
Advertit animos mira res spectantium:
Fit populi clamor, ipse misericordia
Caesar permotus hominem ad se duci iubet
Casusque quaerit. Quos ut edoctus fuit,
Poenam remisit cunctis applaudentibus,
Simul et leonem muneri servo dedit.
Qui gratulantis inter plausus agminis
Totam per urbem populo monstravit ferum.

Quot vicit homines animo memori haec belua!

## X.

### PECVDES, AVES ET VESPERTILIO.

(Rom. III, 4. Dr. app. II, 17.)

Bellum gerebant pecudes cum volucribus,
Et dubia saepe conserebant proelia.
At vespertilio, varios eventus timens,
Vt cuique maior spes erat victoriae,
Modo huic, modo illi parti sese immiscuit.
In pacis cum redissent bellantes statum,
Damnatus ille proditionis crimine
Vtraque a gente et in perpetuum exclusus est.
Ita solus caecis noctibus semper volat.

Adversis qui se simul addicet partibus,
Vtrisque pariter semper despectus iacet.

## XI.
### ACCEPTOR ET LVSCINIA.

(Rom. III, 5. Dr. app. II, 18.)

Lusciniae ad nidum forte acceptor dum sedet,
Vt specularetur agros, pullos repperit.
Rogabat mater, parceret proli suae:
Faciam, inquit, quod vis, tu si bene cantaveris.
Et illa, quamvis animus excideret metu,
Cantavit. Vt finivit, violata fide
Acceptor: minime vero cantasti bene;
Vnumque ex pullis rapuit saevis unguibus.
Forte ex diverso venit auceps callidus:
Cuius deceptus visco calamis oblitis
Acceptor ipse cessit in praedam alteri.

Sic saepe intereunt aliis meditantes necem.

## XII.
### OVES ET LVPI.

(Rom. III, 13. Dr. app. II, 20.)

Oves lupique cum certassent proelio,
Illae vicerunt auctae praesidio canum.
Lupi tum foedus missis legatis oves
Lege hac rogarunt, ut latrantes obsides
Acciperent pacis, ipsi catulos traderent.
Fit ex proposito pactum. Post paullo lupi
Violato iure circumveniunt undique
Et destitutas caedunt patronis oves.

Qui se privarit propriis defensoribus,
Praebebit ipse gladio cervicem hostium.

## XIII.
### RVSTICVS ET ARBORES.

(Rom. III, 14. Dr. I, 14.)

Pereunt, auxilium qui suis dant hostibus.

Securi facta postulabat rusticus,

Vt arbores robustum sibi manubrium
Praeberent; et iusserunt oleastrum dare.
Accepit lignum et, cum securi aptum foret,
Statim cecidit ille silvae robora.
Tunc sic dixisse fertur quaercus fraxino
Iure istud patimur, dedimus quae manubrium.

## XIV.

### MEMBRA ET VENTER.

(Rom. III, 16. Dr. app. III, 4.)

In civitate quando partes dissident,
Tota in periclo vertitur respublica.

Ventri negarant solita victus munera
Partes relicuae corporis, quod deside
Frueretur unus inter omnes otio,
Nec ullum suppeditabant poscenti cibum.
Proposito cum perstarent, post aliquot dies
Ieiuno ventre membra laxata omnia.
Quae tandem ingerere victum ut rursus voluerunt,
Non potuit capere stomachus obstructis viis.

## XV.

### HOMINES DVO, MENDAX ET VERAX, ET SIMII.

(V. 1—3 ex Ph. IV. 13. Rom. IV, 8. Dr. app. II. 21.)

Vtilius nil esse homini quam recte loqui
Probanda cunctis est quidem sententia.
Sed ad perniciem solet agi sinceritas.

Iter facientes mendax et verax simul
In simiorum forte terram venerunt.
Quos conspicatus unus, qui se dixerat
Regem, continuo iussit ad se pertrahi.
Omnes simul qui sectabantur simios
Adstare fecit et sibi poni thronum,
Vt moris esse audierat hominum regibus.
Mox illos in conspectum deductos suum
Rogavit: qualem me putatis, hospites?
Respondit mendax: rex videris maximus.
Et qui sunt isti, stantes quos iuxta vides?

Hi purpurati, pace et bello strenui.
Gavisus istis simius mendaciis
Remunerari iussit hominem praemio.
Hic secum verax: alter si tam splendidum
Accepit munus, dixit quia mendacium,
Quanto donabor, verum si iam dixero?
Haec cogitanti simius: qualis tibi
Ego videor esse, et quales hi, comites mei?
Respondit: et tu simius turpissimus,
Et omnes pariter simii, similes tibi.
Iratus illum, dixerat verum quia,
Lacerandum propriae genti tradit simius.

## XVI.

### GLADIVS ET VIATOR.

(Rom. IV, 20. Dr. app. III, 11.)

Gladium viator media proiectum via
Invenit et rogavit: quis te perdidit?
Cui telum: me quidem unus, at plures ego.

Pereat priusquam, multis exitiost nocens.

## XVII.

### VVLPIS IN HOMINEM VERSA.

(Anon. Wissemb. V, 9. Dr. app. II, 3.)

Naturam turpem nulla fortuna obtegit.

Humanam in speciem cum vertisset Iuppiter
Vulpem, legitimis paelex ut sedit toris,
Scarabaeum vidit prorepentem ex angulo,
Notamque ad praedam celeri prosiluit gradu.
Superi risere; magnus erubuit pater,
Vulpemque repudiatam thalamis expulit,
His prosecutus: vive quo digna es modo,
Quia digna nostris esse meritis non potes.

## XVIII.

### ASINVS ET BOS.

(Anon. Nil. 34. Dr. app. II, 13.)

Asellus et bos uno sociati iugo
Plaustrum trahebant. Bos dum tendit validius,

Cornu confregit. Asinus immotus gravi
Consortis casu praestat nil levaminis.
Confectus onere nimio bos ut corruit,
Asino bubulcus carnem imponit mortui.
Auritus plagis mille fractus deficit,
Et exspiravit media collapsus via.
Tum volucres advenientes ad praedam novam:
Si te precanti mitem exhibuisses bovi,
Non immaturo nos interitu pasceres.

## XIX.

### CVLEX ET TAVRVS.

(Anon. Nil. 36. Dr. app. II, 15.)

Culex cum taurum provocasset viribus,
Venere populi cuncti, ut pugnam cernerent.
Tunc ille: satis est, quod venisti comminus:
Par tibi sum factus nempe iudicio tuo.
Hinc se per auras sustulit pinna levi.
Lusitque turbam et tauri destituit minas.
Qui si fuisset validae cervicis memor,
Pudendum contempsisset adversarium,
Nec stulta se iactasset gloriatio.

Sibi ipse obtrectat, qui se indignis comparat.

## XX.

### EQVVS ET ASINVS.

(Anon. Nil. 58. Dr. app. II, 25.)

Equum rogabat asinus particulum hordei.
Respondit: si liceret, liberaliter
Pro dignitate nostra donarem tibi.
Sed solita cum venerimus ad praesepia,
Dabo repletum farre follem muneri.
Cui contra asellus: qui rem tam parvam negas,
Quid in maiore te facturum existimem?

Qui magnas res promittunt, parvas denegant,
Hac sese agnoscent denotari fabula.

## DE LEONE REGNANTE.

(V. 3—8 ex Ph. IV, 14.)

Pari periclo, sive verum dixerint
Seu falsum domino, conflictantur aulici.

Cum se ferarum regem fecisset leo
Et aequitatis vellet famam consequi,
A pristina deflexit consuetudine
Atque inter illas tenui contentus cibo
Sancta incorrupta iura reddebat fide.
Postquam labare coepit poenitentia,
Mutare quia naturam non poterat suam,
Deduxit aliquot in secretum bestias,
Et num puterent ora quaesivit sibi.
Qui dixerant putere et qui non dixerant,
Lacerabat omnes, cupiditate sanguinis.
Cum multis hoc fecisset, tandem simium
Interrogavit, os num feteret sibi.
Tum simius vel cinnamomo suavius
Olere dixit et deorum altaribus.
Permulsus impudenti rex mendacio
In praesens huic pepercit. Mox, fraudes novas
Vt moliretur, morbum simulare incipit.
Venere medici, qui venarum pulsibus
Consideratis simulac sanum viderunt,
Vt recrearet vires languentes leo,
Cibum suaserunt sumere aliquem incognitum,
Qui facilis foret et tolleret fastidium.
Tunc ille, regi quia licet quod libuerit:
Ignotast, inquit, simii nobis caro;
In hac cognosse cupio sit qualis sapor.
Vt dixit, rapitur in conspectum simius,
Leo quem comprensum sine mora leto dedit.

## DEMETRIVS REX ET MENANDER POETA.

(V. 6—23. Ph. V, 1.)

Quantum a livore iudicum praesentium
Diversus fuerit aevi candor pristini.

(Namque hoc vel vitia magnis in scriptoribus
Libens ferebat, illi et virtutem oderunt)
Exemplo luculento comprobabitur.

Demetrius, qui dictus est Phalereus,
Athenas occupavit imperio inprobo,
Vt mos est vulgi, passim et certatim ruit
'Feliciter!' succlamans. Ipsi principes
Illam osculantur, qua sunt oppressi, manum,
Tacite gementes tristem fortunae vicem.
Quin etiam resides et sequentes otium,
Ni defuisse noceat, repunt ultimi;
In quis Menander, nobilis comoediis,
Quas ipsum ignorans legerat Demetrius
Et admiratus fuerat ingenium viri.
Vnguento delibutus, vestitu fluens,
Veniebat gressu delicatò et languido.
Hunc ubi tyrannus vidit extremo agmine:
Quisnam cinaedus ille in conspectum meum
Audet venire? Responderunt proximi:
Hic est Menander scriptor. Mutatus statim:
Homo, inquit, fieri non potest formosior.

## GALLVS LECTICA A FELIBVS VECTVS.

(V. 1—5, 9—11 Perotti app. 16.)

Feles habebat gallus lecticarios.
Hunc gloriosum vulpes ut vidit vehi,
Sic est locuta: moneo praecaveas dolum;
Istorum vultus namque si consideras,
Praedam portare indices, non sarcinam.
Contempsit gallus verba vulpis provida,
Quae vera proprio damno mox expertus est.
Fidem servabant, dum fame feles vacant:
Postquam esurire societas coepit fera,
Discerpsit dominum et fecit partes facinoris.

Exitium saepe nimia fert securitas.

## APPENDICIS PEROTTINAE

Fab. I epimythium.

Avarus et quod superest non donat libens.

Fab. VII epimythium.

Sic comprimendast impudens iactatio.

Fab. VIII epimythium.

Difficile quam sit hominem nosse, hinc discimus.

Fab. XIII promythium.

Muliebre ingenium qua sit inconstantia,
Iam demonstrabo nota vulgo fabula.

Fab. XIV promythium.

Fortuna interdum contra ac speratumst cadit.

Fab. XV promythium.

Vtilius saepest falsum quam verum loqui.

Fab. XVIII epimythium.

Malo inconsulte non est addendum malum.

Fab. XIX epimythium.

Aequo ferendumst animo, quodcumque accidit.

Fab. XXI epimythium.

Sic saepe homo hominem blandis verbis decipit.

Fab. XXII promythium.

Negabit frustra in medio prensus crimine.

Fab. XXIII promythium.

Leonis pelle saepe volpinast prior.

Fab. XXV epimythium.

Nullum maledictum gravius conscientiast.

Fab. XXVI. epimythium.

Qui verbis blandus, pectore infidelis est,
Hoc argumento se notari sentiat.

Fab. XXVII epimythium.

Sic sponte interdum, gnari fraudis, fallimur.

# COMMENTARIVS IN PHAEDRVM.

## L. S.

Etiam huic libro, ut nuper ei, quo Lucilii saturarum reliquiae sunt expressae, placuit addi commentarium quendam, sed tenuem admodum et simplicem, quo siqua in margine exemplaris nostri erant notata quae memoria viderentur esse digna summatim redderentur. monet quippe, ut studeamus brevitati, praeter rationes editionis huius, quibus vetamur Burmanni et Schwabii spoliare adversaria, et insitum animo morem Phaedrique ipsius exemplum affectus pridem sed in medio opere destitutus Nonius.

---

## Liber I.

Inscr. *Phaedri* [*Augusti liberti*]: vix credo ipsum Phaedrum in inscriptione operis memorasse condicionem libertinam, cuius rei mentionem obesse magis quam prodesse scriptori Romano Horatii exemplo doceri poterat. itaque existimo illa *A. l.* adiecta a grammatico aliquo vel librario, qui aut ex fabulis quae perierunt aut aliunde eius rei traxisset notitiam.

*fabularum Aesopiarum;* illud *Aesopiarum* in una additum charta Danielis; ac tamen depellere loco nolui, quoniam ipse Phaedrus in prologo libri IV fabulas suos nominat Aesopias.

*Aesopiarum;* ut constat maiorem Phaedri fabularum partem ex Aesopi quae ferebantur esse ductam fabulis, ita certum est illum usum et pleniore quam quo nos utimur exemplari Aesopi et tali in quo subinde res aliter essent narratae atque in eis quae extant in syllogis, quamquam alia ab ipso immutata est probabile. praeterea illud utique ab Attico homine (et scimus Athenienses studiosissimos fuisse Aesopi) fuit editum, qui ad Athenas amaret referre quae de Aesopo essent tradita. etiam alias Athenarum probe memor fuit Phaedrus. reliquarum

argumenta fabularum exceptis eis, quas invenit ipse, partim ex aliis fontibus, plerumque notis etiamnunc aliunde, partim ex sui temporis memoria traxit idem. Babrio autem, quem recentiorem esse Phaedro sat constat, uti nimirum non potuit.

Ceterum vix est quod moneam ea quae modo dixi de fontibus Phaedri non minus quam ad eas fabulas quae servatae sunt libris Pithoeano et Remensi pertinere ad Perottinam appendicem, quae eiusdem est auctoris, et ad eas fabulas quas quia Phaedri esse videbantur nos in versus redegimus.

Phaedr. 3, 4.

duplex libelli dos est: quod risum movet
et quod prudenti vitam consilio monet.

Illud *quod* non satis apparet utrum pronomen sit, an, quod minus mihi probatur, coniunctio.

ib. 4 *prudenti;* ita recte docti; nam ut aegroti medico, non sani, ita stulti egent consultore, non prudentes; et imperitis rerum has fabulas destinari ipse saepius testatur Ph.

1, 13 *lacerat: mactat* Bentl., idem 26, 2 *mactandum;* quod tamen verbum harum fabularum tenuitas non recipit.

2, 16 *hoc* i. e. *genus pavidum*, quamquam non displicet quod scripsit Bentleius.

2, 17 *ee;* videtur semper hac forma usus esse sequente consona Phaedrus, excepto si sequeretur gutturalis; quamquam etiam legitur VI, 19, 1 *ee quadriga.*

2, 20 *supera* ut Cicero in Arateis et Lucretius.

2, 22 *rogantes* aut nominativus ut saepe Graeci velut Xen. h. Gr. VI, 4, 20 πρὸς Ἰάσονα ἔπεμπον οἱ Θηβαῖοι κελεύοντες βοηθεῖν; ib. 5, 8; aut accusativus pro *rogaturos*, ut Verg. aen. II, 114, 5 *Eurypylum scitantem oracula Phoebi mittimus;* ib. VI, 392.

2, 23 inutilis quoniam esset qui fuerat datus.

nota Phaedrum non uti particula *quoniam* nec magis eis quae sunt *quando, quandoquidem* nisi in orationibus aut in promythiis sive epimythiis, potuit igitur ea etiam hoc loco servari; sed tamen magis placet id quod coniecit Zornius, partim quia est oratio obliqua, non recta, partim quia unicum anapaesti in tertio pede sic formati est exemplum: spondei quidem, ut alibi iam memoratum, similiter delitescentes in arsi pedis tertii

inveniuntur nonnulli ut in illis *utilius nil esse homini, laboro nil atque optimis, Simonides idem ille, tunc falsa imago atque operis,* ubique in finalibus a vulgari flexione alienis, cuius sane etiam est condicionis particulae *quoniam* ultima.

3, 2 *suoque* e. q. s.: h. e. *suoque potius ut libeat habitu vitam degere.* notum genus dicendi.

3, 7 se miscuit pavonum formoso gregi.

quae relicta erant prius a nobis elisae in prima thesi vocalis exempla, cum pars doctorum arbitriis esset novata, pars fraudis suspecta aut facillime quae posset tolli, omnia iam sublata sunt. vix enim est probabile Phaedrum, hominem circa iungendas vocales diligentissimum, tam duram admisisse elisionem, cum praesertim maluerit dicere III, 9. 6 *quaeso, tam angustam,* non *tam angustam, quaeso.*

3, 9 *male mulcatus:* allitteratio, sed in formula ut II, 1, 6 *rettulit retro pedem;* nam alioqui rarissime ea utitur Ph.

4, 4 aliamque praedam ab altero ferri putans.

Syrus *ab alio expectes, alteri quod feceris.*

5, 7, 8 *quoniam — quia;* ita 2, 7, 8 *non quia crudelis ille, sed quoniam gravest omne insuetis onus.*

5, 7 *nominor quoniam leo,* i. e. *quia rex sum ferarum.*

5, 8 *quia sum socius;* confirmat Withofii emendationem Babrius 67, 5 sqq.:

καὶ τὴν μὲν αὐτός, φησί, λήψομαι πρῶτος·
βασιλεὺς γάρ εἰμι· λήψομαι δὲ κἀκείνην
ὡς ἐξ ἴσου κοινωνός.

5, 10 fortasse *male adfligetur:* ut I, 10, 11 *leonis adfliguntur horrendo impetu.*

8, 11 vulgo *ore quae e nostro,* durissima elisione. illud *auferre* cum simpli ablativo non minus hercule iungere licuit Phaedro quam *emittere* I, 13, 10; *dimittere* VI, 23, 6.

I, 9, 1 *ostendemus;* ita recte docti: nam Phaedrus in promythiis et prologis ubicumque loquitur de fabulis promendis, saepe futuro, numquam coniunctivo solet uti.

9, 3 male Bentleius *ac fletus. fletus et dentem:* numquam, quod mirere, *edendi* verbo usus esse videtur Phaedrus; nam ne hoc quidem in loco, ubi utriusque codicis firmatur scriptura, tolerari potuit.

9, 6 fort. *acceptor*; cf. lib. de Ph. et Av. fab. pg. 24.

11, 2 *ignotos, ignaros,* ut 14, 2; ita apud Graecos ἄγνωστος duplici significatione; contra multi *ignarum* pro *ignoto.*

12, 9 fort. *lusit molosos*; cf. lib. de Ph. et Av. fab. pg. 24.

14, 18 *stultitia* potius nominativus quam ablativus ut I, 21, 1, 2 *quicumque amisit dignitatem pristinam, ignavis etiam iocus est.*

15, 1 cdd. *saepius civium*; recte docti expunxere illud *civium*, contra III, 5, 1 iure expulsum ab isdem *saepe.*

15, 7 *quaeso num* — Ph. illud *quaeso* numquam ponit primo loco nisi aut arcana ratione musica ut hic et III, 9, 6, aut sequente vocativo ut VI, 26, 7. nempe vocativus et ipse non amat in primo loco poni orationis.

15, 10 *meas* i. e. *solitas.*

16, 1 *vocat* pro *avocat*, ita V, 1, 12 *fluens* pro *afluens.*

16, 2 *expeto* cum infinitivo ut Plautus et Pacuvius.

16, 4 *praemetuens dolum*, ut II, 4, 21 *ruinam metuens; praemetuens* cum accus. etiam ap. Verg. aen. II, 571—73 legitur.

18, 5 *onus naturae;* potest defendi illud *naturae*, sive *naturam* pro *vulva* acceperis, sive *onus naturae* explicaris per *onus a natura impositum*, sicut IV, 16, 5 *naturae partes* existimo esse *partes a natura nobis datas.* magis tamen placet coniectura Heinsii. ita III epil. 6 pro *materiae* traditum *naturae.*

19, 8 *validius*, cf. d. r. m. 366.

21, 5 *aper fulmineis venit ad eum dentibus*; ita mollius fluunt numeri quam in lectione vulgata *a. f. ad e. v. d.*

21, 12 *certe* pro *certo* ut saepe Cicero.

22, 5 *supplici* potius genetivus (ut 17, 1 *malfici*) quam dativus.

22, 6 *reliquiis*, cf. d. r. m. 361.

22, 8 *benficium:* cf. d. r. m. 334.

23, 5 male Heinsius: *heus si, inquit: heus, inquit*, etiam II, 5, 21; III, 14, 6.

24, 3 *tacta invidia:* ita saepe erotici *amore tangi.*

24, 6 *rursus* et *prorsus* semper dixit Phaedrus, non *rursum* et *prorsum:* et quidem praeter unum v. (VI, 26, 12) sequente vocali.

25, 4 *a corcodilis;* cf. Ritsch. op. phil. II, 536 sqq.

25, 7 *mercules;* cf. lib. de Ph. et Av. fab. pg. 25.

27, 6 *sanctae Religioni;* religionem inter deos a Phaedro numerari puto ad exemplum locorum Vergilianorum qualis est ille (aen. III, 362 sqq.) *omnis cursum mihi prospera dixit religio et cuncti suaserunt numine divi Italiam petere.*

28, 10 *damno sanguinis;* cf. notam Bentlei.

29, 3 cf. lib. de Ph. et Av. fab. pg. 25.

30, 7 *ac;* sic libri, sed vix recte, cum alias ap. Ph. haec part. non inveniatur praeter illud *simul ac.*

31, 2 *auxilia,* non *auxilium* lege euphoniae.

31, 13 *de relicuis;* cf. d. r. m. 361.

## Liber II.

Auct. 1 *Aesopi genus;* cf. lib. de Ph. et Av. fab. pg. 26, 27.

2, 4 *annos celans elegantia,* i. e. *munde corpore culto,* ut ait Lucr. IV, 1281.

3, 2 *panem misit malfico;* ita recte docti, ut I, 23, 3.

4 ad ea quae Hehnius noster de felibus disseruit in libro celeberrimo, quo agit de bestiis et frugibus quibus maxime insuevit genus humanum, pgg. 398—406 ed. II haud inepte videor mihi adicere, in his fabulis Aesopeis feles semper dici immansuetas et ab hominum sedibus alienas. neque indignum memoria, in fabula de mure rustico et urbano a syll. Wissemb. abesse illa '*captus a catto comederis*', quae reperiuntur apud Rom.

4, 3 *nemoris cultrix;* docti *nemoricultrix,* ut apud Catullum est *silvicultrix.* tale tamen verbum harum fabularum tenuitas non recipit; neque sustinui in appendice (26, 1) admittere illud *celeripes,* quod non magis agnoscunt codices. contra apud Syrum in versibus, quibus maiores sumit spiritus, sine offensione legitur:

pietaticultrix gracilipes crotalistria.

5 inscr. *item Caesar ad atriensem.* verissimi fuere docti, qui aliam de Tiberio narrationem huic praegressam proxime statuerent; solet enim in titulis librorum adhiberi illud *item,* quando de eadem persona eademve re aliud subiungitur prioribus.

5, 1 *ardalionum; ardalio* melius scribitur quam *ardelio: hardalio* legitur pg. 118 excerptorum ex Martiale Frisingensium.

5, 4 *sibi molesta et aliis odiosissima;* omissum prius *et,* ut

III, 6, 9 *namque ubi tricandum et ubi currendum sit scio;* III, 10, 1 *periculosumst credere et non credere;* ceterum numquam usus est Phaedrus illo *que — que.*

5, 10 *prospectat — despicit;* similiter oratio variata in epil. huius libri *ut primus foret, ne solus esset.*

5, 16 *comes;* ita rectissime Wasius; cui congruunt verbo ea quae statim subiciuntur: *praecurrit alium in xystum.*

7, 4; V, 5, 4 *dis;* cf. d. r. m. 256.

7, 11 *equidem* ut Cic., Verg., Hor. semper cum prima pers. num. sing. iungit Ph.

8, 2 *venatorem instantem necem,* ut IV, 19, 34 *hominum contumelia;* Verg. aen. II *Pelias et volnere tardus Vlixi.*

## Liber III.

Phaedr. ad Eut. 18 *Mnemosyne;* non ausus sum Phaedro adscribere illud *Nemosyne,* quod codices offerunt. sane ea forma non infrequens in libris scriptis; et nota vulgo *Clytaemestra, Hypermestra.*

19 *artium chorum; artium* pro dearum, quae artibus praesident. ita VI, 4, 20—22 *mendacium* prius proprium nomen, deinde appellativum. maiore etiam usus audacia comicus nescio quis: *vinum precemur; nam hic deus praesens adest.*

22 *invita* pro *invicta;* IV epil. 5 P *viturum* pro *victurum.*

34 *servitus obnoxia; servitus* commode pro *servo,* i. e. *Aesopo* potest accipi; de qua re sicui aliter erit visum, erit probabile quaedam post v. 37 intercidisse. verum istud dicendi genus plane convenit Phaedro.

38 *ego porro illius semitam feci viam* i. e. *cum ille angusta via usus esset, ego feci latiorem.* recte afferunt docti versum Martialis:

*et modo quae fuerat semita, facta via est.*

huc etiam pertinet illud Ennii:

*qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam.*

41 *Seiano* potius ablativus quam dativus ex more Phaedri, qui minime amat graecismos.

51 recte docti *forsan quis:* ut II, 4, 7 *forsan et miserae mihi.* nec enim ausim tribuere Phaedro illud *fors* pro *fortasse.*

59 Hebrique tenuit impetus dulci mora.

ex hoc versu potest cognosci, quam falsi fuerint, qui negarent posse tolerari apud Vergilium illud (aen. I, 317): *volucremque fuga praevertitur Hebrum*, cum ipse Phaedrus, Thraciae gentis homo, huic amni rapiditatem cursus adscribat.

2, 5 *quamvis nemo laederet.* aptius sane esset illud: *cum laesisset neminem.* verum ne sic quidem satis recte procedit fabula, cum dicat Phaedrus etiam eos, qui iuvarent pantheram, sperasse fore, ut die insequente eam invenirent mortuam.

2, 15 praeter hunc locum, ubi ad feminini generis substantivum refertur, *feram* plurali numero solet dicere Ph., singulari *ferum.*

3, 10 Et insitivos significari liberos.

Octaviae auctor:

*Nero insitivus, Domitio genitus patre.*

3, 14 *naris emunctae senex;* cf. com. Lucil. pg. 291.

4, 5 *ridicule* i. e. *ad risum movendum apte*, ut saepe Plautus, Cicero, alii.

6, 9 *tricandum;* cf. VI, 15, 2 *quae totum — tricaret diem.*

10, 2 *ponam utriusque breviter exemplum rei.* neque *exponendi* verbum hic habet locum neque correpta in *utriusque* secunda. bene igitur sit Perotto, quod hic ut bis terve vestigia veri eius sunt opera servata.

10, 28 *nil introspiciens;* nota Phaedrum semper dicere *nil* pro *nihil* praeter finem versus (IV, 5, 16; 24, 4). *introspicere* quid sit, apte docet Forcellinus.

10, 39 *petierunt iudices;* ita scripsi ad exemplum v. 18 c. 23 l. IV: *quam petierunt naufragi.* vix enim credo Phaedrum in quinto pede admisisse iambum duobus divisum vocabulis, cum tam facile posset vitari.

10, 47 recte Perotti liber *delatum;* nam *damnanda*, quod est in Pithoeano ac Remensi, ex versu praecedente irrepsisse apparet.

12, 7 *potis*, ut Horatius in melicis et Catullus et Lucretius et Persius.

15, 2 *stulte* potius vocativus quam adverbium, ut similia demonstrant exempla, quamquam elisio longae sequente acuta nullam habet offensionem in prima arsi vel quinta.

16, 12 sonare citharam quos putes Apollinis;

Hor. lib. III: *non avium citharaeque cantus.* *Apollinis;* non ausus sum recipere, quod pr. m. perscriptum est in Pith. *Apollonis;* cf. Ritsch. op. philol. II, 491 sqq.

16, 15 *illaque arebat siti;* melius hoc quam quod vulgo fertur propter arcanam rationem musicam.

17, 2 *divi;* ita semel Phaedrus, ne diceret *dei;* alioqui non utitur hoc vocabulo praeter illud, quod formulae est instar: *divus Augustus.*

17, 10 *coepit;* vulgo: *genitor,* nimis incondite, cum sequatur *sator:* apparet quartum huius versus vocabulum in archetypo non satis potuisse legi.

17. 11 *dicere* futurum.

18, 13 *omnesque,* cf. quae notavi ad Catull. 86, 9.

Poeta 34 *muttire;* saepius invenitur haec forma in codicibus, quamquam non minus recte dicitur *mutire.*

## Liber IV.

Poeta ad Partic. 2 *in hoc:* cf. Hand. Tursell. III, 320.

5, 6 quidquid sunt moliti critici, non effecerunt, ut ex illis *quo pacto damnabit* elicerent, quod et sententiae esset aptum et metro. itaque graviore opus fuit remedio.

12 *ostendit* ut rem novam et ante incognitam; similiter Verg. de Marcello: *ostendent terris hunc tantum fata neque ultra esse sinent.*

2, 1, 2 *levi calamo;* III prol. 29 *Aesopi stilo.*

5, 32 *non potuissent;* potest defendi lectio vulgata notissimis similis attractionis exemplis, qualia sunt:

ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην;

quam quisque norit artem, in hac se exerceat;

ac tamen magis placet illud *potissunt.*

4, 44 *luxuriae* genetivus; ceterum etiam hic abstractum positum pro concreto.

7, 9 *opera Palladia;* Verg. aen. II *divina Palladis arte.*

7, 10, 11 cf. de r. m. 378.

13 inscr. cf. l. de Ph. et Av. fab. pg. 18.

16, 1 *idem Prometheus auctor vulgi fictilis;* videtur Ph. in f. quae periit hanc levitatis et inconstantiae hominum plurimorum dixisse causam, quod ex luto essent ficti a Prometheo.

*a. v. f.*, cf. VI, 4. 1 *Prometheus saeculi figulus novi.* ac tamen magis placet quod infra est adscriptum.

16, 13 *adposuit;* ita scripsi pro *adplicuit:* nec enim est Phaedri tam putida uti repetitione verborum: vitium ortum ex versu praecedente.

19, 19 potuit recipi Baehrensii, Spengelii, Zornii coniectura, nisi duplici laboraret incommodo; nam et supervacaneum apparet esse illud *sat* neque ausim tribuere Phaedro formam talem qua et ipse alibi et omnes abstinent satirici praeter Lucilium. quantum ad leges vocalis correptae, quando sequitur muta cum liquida, convenire omnino Phaedro cum dactylicis poetis sat notum.

19, 30 *praemium* i. e. *poenam* ut I, 17, 9 *merces.*

19, 34 *hominum contumelia;* ita recte docti: nam numquam alibi Phaedrus *hominem* dixit pro *genere humano*; supra v. 3 *hominum contumeliis.*

22, 1 vulgo scribitur *quo — modo,* minus bene, cum Phaedrus soleat dicere *quo pacto,* quamquam eidem placuit *nullo modo, simili modo.*

23, 8 erat autem, ut aiunt, natus in Cia insula.
nihil est offensionis in elisione pedis quinti: ac tamen dubito plerumque, an recte docti damnaverint hunc versum.

23, 27 *perit* perfectum, ut 26, 6 *petit:* hac tamen contractione numquam usus est Phaedrus praeter locum sextum; nam VI, 4 12 illud *redit* est temporis praesentis.

25, 5, 6 cf. l. de Ph. et Av. f. pg. 28.

25, 6 *exta — deum;* ita supra 11, 12 *de flamma deum:* magis tamen placet, quod in notis est adscriptum.

26, 23, 4 *corpora humana supra formam:* *corpora* appositum ad *iuvenes,* ut ap. Verg.: *et vos, o Grais inperdita corpora, Teucri.* itaque non est cur de accusativo graecanico cogites.

## Liber V.

Id. poet. 7 *trito, caelato et usu detrito,* ut Ludolfus Stephanius nos docuit.

1 cf. lib. de Ph. et Av. fab. pg. 28, 9.

1, 1 quamquam fuerunt, qui assererent Demetrium Phalereum more tyrannico curam urbis Athenarum, a Cassandro

rege commissam, exercuisse, tamen magis probabile videri confusum a Phaedro Phalereum Demetrium cum Poliorcete viris doctis adsentio.

1, 7 non ausim Phaedro adscribere illud *Zeuxidam,* quamquam idem secutus communem Romanorum usum *pantheram* dixit pro *panthere.*

2, 6 *curabo sentiat,* cf. comm. Lucil. pg. 268.

3, 11—13 cf. l. de Ph. et Av. fab. pg. 29.

3, 11 *mage dignum;* illud *mage* num aptum sit Phaedro plerumque dubito; certe apud satiricos non invenitur; invenitur in Syri sententiis 323, 650, sicut *pote* et *sat;* quae tamen cum diversorum sint auctorum, minus faciunt ad Phaedri genus dicendi explicandum quam credas. quantum ad artem metricam, aliter habet res, cum sit probabile sylloges illius numeros ab auctore ita correctos, ne nimis possent displicere cultissimis saeculi I p. Chr. auribus.

6, 3 *heia, inquit;* frequens asyndetis Phaedrus, maxime quando additum est verbum *inquit.*

7, 13 *molle,* i. e. *misericors.*

7, 17, 18 tandem hos versus adiuvante Bentleio licuit redigi in eum habitum, qui dignus est Phaedro. numquam enim is solet post quintum pedem interpungere ita, ut ultimum verbum trahatur ad sequentia.

10, 1 *fortis et velox:* vulgo scribunt *fortis veloces,* nimis ineleganter: ex illo *adversus* facile posse elici *in* ad illud *velox* apparet.

10, 7 cf. d. r. m. 315.

## Appendix.

De opusculis quae in appendice sunt addita cum cura egi l. de Ph. et Av. fab. pgg. 11—14. tamen ne nimius amator ingenii proprii esse videar, siqua in eis inveniuntur diversa a dictione reliquorum Phaedri carminum, sedulo notabuntur; quae quidem cognosces et paucissima esse et levissima.

2, 9 *secum ridet Iuppiter:* Verg. aen. I *nunc Amyci casum gemit — secum.*

3, 6 *limen excedens;* Verg. aen. I *erumpere nubem.*

4 hanc fabulam olim inter IV 14 et 15 positam esse existimarim. etiam 2, 5, 6 ex l. IV petitas probabile est.

4, 4 *magni Iovis:* IV, 19, 13 *magnus Iuppiter.*

4, 22 *adsentio:* ita 8, 26 *adsensit Magnus.*

4, 23 non ausus sum recipere illud *initio,* quod commendavi l. de Ph. et Av. fab. pg. 29, propter asperitatem elisionis.

5, 12 *immo;* hoc adverbium etiam invenitur 9, 9; 15, 8; in reliquis fabulis non legitur.

6, 1 *quae* relativum.

6, 3 *sacratae* potius nominativus quam genetivus.

6, 4 *mugit adytis Religio;* ita supra l. IV *repente vocem sancta misit Religio;* Verg. aen. VI: *antroque remugit* (*Sibylla*).

6, 6 *Python:* eandem nominis formam Tibullo II, 3, 27 restituimus.

7, 4 *numquid* pro *num,* ut 26, 7; ita *ecquid* ib. 11.

8, 17 *quin; quin etiam* V, 1, 7; *quin sequere* VI, 30, 12.

8, 21 *stomachans:* Hor. c. I, 6 *nec gravem Pelidae stomachum.* — *imperat; imperare* cum accus. et infinitivo ut ap. Verg. aen. VII, 168, 9.

8, 23 *satius,* suppl. *esse.* — *arbitror;* cum Ph. numquam alias usus sit hoc v., haud levis oritur suspicio, Perotti id novatum temeritate et reponendum illud *aestimo,* quod idem non tulit III, 4. 5.

9, 3 cf. de l. Ph. et Av. fab. pg. 30.

9, 5 *dic sodes.* pro *sodes* Phaedrus alibi semper *quaeso.* ut III, 7, 17 *dic, quaeso, tamen,* ubi etiam in Perottino libro est *dic sodes.* quod cum ita sit, aut etiam hoc loco scribendum *dic, quaeso,* aut ita excusandum *sodes,* quod in oratione deae ad bestiam est adhibitum.

9, 12 *licet horreum patescat;* in priore editione scripseram *mi pateat,* sed cum alibi (III, 18, 9) breviore forma ante vocalem usus sit Phaedrus, ut etiam Plautus amat facere (contra *mihi* ab eodem et ante vocalem ponitur et ante consonam), tutius est visum scribere id, quod supra est adpositum.

11, 2 *Phryx sophus* pro *Aesopus;* ita supra III, 14, 9 in ed. Per. pro *victor sophus* legitur *vero Aesopus.*

12 inscr.: *asinus ad lyram:* notum illud ὄνος πρὸς λύραν sive ὄνος λύρας.

13, 1 cf. l. de Ph. et Av. fab. pg. 30.

13, 4 *lugens vitam degeret;* ita scribi oportuit, non *vitam lugens degeret,* sicut legitur I, 3, 2 *vitam degere;* 30, 6 *degerent vitam.*

13, 17 videtque et aegram et facie pulchra feminam. vetus illud: *honesta facies muta commendatiost.*

13, 18 correptus animus ilico succenditur. *ilico* alibi non invenitur apud Phaedrum.

14, 15 *repente* et *subito* promiscue adhibet Ph.

14, 16 *intonat mundi fragor;* cf IV, 19, 22, 23, 24.

14, 28 *dulcis* accusativus, qui pertinet ad *nuptias.*

14, 29 *aequalitatis* i. e. *aequalium, συνήβων*: ita infra (16, 6) *societas* pro *socii.*

14, 32, 33, cf. IV, 26, 31—33.

15, 8 *immo ni dederis;* satis quidem commoda haec, sed eadem dubia admodum, cum Ph. alibi numquam dixerit *ni* pro *nisi.* quare gravius vitium latere est probabile.

18, 4 cf. l. de Ph. et Av. fab. pg. 31.

20, 1—6 cf. Pers. prol. 8—14.

20, 2 *petra;* hoc voc. iam Ennius usus; dein frequens idem sermone communi Romanorum; cf. Fest. pg. 206 ed. M.

ib. *pendens petra* Iann., ut Verg. ecl. 1, 77 *capellas de rupe pendentes* dixit.

20, 6 *vafer* alibi non extat ap. Ph.

21, 4 *iterum* alibi non invenitur apud Phaedrum, qui tamen *iterandi* utitur verbo.

24, 6 *dolosa* iungendum cum *scio.*

24, 7 *senectam; cc senecta* IV, 2, 10.

26, 1 etsi triplex dactylus poterit videri eleganter adhibitus ad describendam leporis fugientis celeritatem, magis tamen placet, quod infra est adscriptum. ceterum illud *celeri pede* etiam legitur IV, 19, 6.

28 haec fabula etiam invenitur apud Aesopum nr. 189 ed. Halmianae; ceterum pridem intellectum, quae hic narrantur de fibro, pertinere ad id genus fabellarum, quod Germani vocant 'jagdgeschichten'.

28, 4 *illi, qui iactant se verborum copia.* ad latini sermonis levandam egestatem multa ex graeco substantiva assumpsit Phaedrus, sed adiectiva paucissima, ut *gymnicus, musicus, pelagius, sophus.* hoc, quo ter usus est (III, 14, 9; IV, 18, 8; VI, 11, 2), tempore admodum antiquo receptum esse in linguam latinam sat constat.

28, 7 *neges* pro *negem* vel *negent:* ita III, 10, 7 traditum est *levem* vel *elevem* pro *eleves.*

30, 7 *locustarum;* cf. d. r. m. 353.

# INDICES.

Numero VI fabulae Perottinae, VII nostrae indicantur.

## INDEX I.

A feminis utcumque spoliari viros II 2.
A fictione veretri linguam mulieris IV 15.
Adhuc supersunt multa, quae possim loqui IV epil.
Ad rivum eundem lupus et agnus venerant I 1.
Adsidue quod iocemur fictis fabulis VII 9.
Adversus omnes fortis et velox feras V 10.
Aesopi ingenio statuam posuere Attici II epil.
Aesopi nomen sicubi interposuero V prol.
Aesopo quidam scripta recitarat mala VI 7.
Aesopus auctor quam materiam repperit I prol.
Aesopus domino solus cum esset familia III 19.
Aesopus turpi cum serviret feminae VI 15.
Amittit merito proprium qui alienum adpetit I 4.
Angusto in aditu taurus luctans cornibus V 9.
Anus iacere vidit epotam amphoram III 1.
Apes in alta fecerant quercu favos III 13.
Aquila in sublimi quercu nidum fecerat II 4.
Arbitrio si natura finxisset meo VI 2.
Asellus et bos uno sociati iugo VII 18.
Asinus iacentem vidit in prato lyram VI 12.
Athenae cum florerent aequis legibus I 2.
Aves cum linum cernerent agris seri VII 6.
Avis, quam dicunt terraneolam rustici VI 30.
Barbam capellae cum impetrassent ab love IV 16.
Bellum gerebant pecudes cum volucribus VII 10.
Calvi momordit musca nudatum caput V 3.
Canes effugere cum iam non potis est fiber VI 28.
Canes legatos olim misere ad Iovem IV 19.
Cervus nemorosis excitatus latibulis II 8.
Consilia qui dant prava cautis hominibus I 25.
Contra potentes nemost munitus satis II 6.
Culex cum taurum provocasset viribus VII 19.
Cum blandiretur iuveni meretrix perfida VI 27.
Cum castitatem Iuno laudaret suam VI 9.
Cum celeri fugeret pede venatorem lepus VI 26.
Cum de fortunis quidam quereretur suis IV 17.
Cum destinassem terminum operi statuere IV prol.
Cum se ferarum regem fecisset leo IV 14.

Cum servus nequam Socrati malediceret VI 25.
Cum victi mures mustelarum exercitu IV 6.
Cursu volucri pendens in novacula V 8.
Demetrius, qui dictus est Phalereus V 1.
Duo cum incidissent in latronem milites V 2.
Equum ec quadriga multis palmis nobilem VI 19.
Equum rogabat asinus particulam hordei VII 20.
Equus sedare solitus quo fuerat sitim IV 4.
Est ardalionum quaedam Romae natio II 5.
Eunuchus litigabat cum quodam inprobo III 11.
Exemplis continetur Aesopi genus II prol.
Fame coacta vulpes alta in vinea IV 3.
Feles habebat gallus lecticarios VI 16.
Fraudator homines cum vocat sponsum inprobos I 16.
Gladium viator media proiectum via VII 16.
Habent insidias hominis blanditiae mali I 19.
Haec res avaris esse conveniens potest I 27.
Hoc qualecumquest Musa quod ludit mea VI epil.
Homo doctus in se semper divitias habet IV 23.
Homo in periclum simul ac venit callidus IV 9.
Humanitati qui se non accommodat III 16.
Humiles laborant, ubi potentes dissident I 30.
In civitate quando partes dissident VII 14.
In paupertate potius tutum degere VII 2
In principatu commutando saepius I 15.
In sterquilino pullus gallinacius III 12.
Inops potentem dum vult imitari perit I 24.
Inter capellas agno palanti canis III 15.
Invenit calvus forte in trivio pectinem V 6.
Ioculare tibi videtur, et sane levi IV 2.
Ixion quod versari narratur rota VI 5.
Laceratus quidam morsu vementi canis II 3.
Laudatis utiliora, quae contempseris I 12.
Leone dormiente mures rustici VII 4.
Lucernam fur accendit ex ara Iovis IV 11.
Lusciniae ad nidum forte acceptor dum sedet VII 11.
Magni Pompei miles vasti corporis VI 8.
Malus cum sutor inopia deperditus I 14.
Mercurium hospitio mulieres olim duae VI 3.
Mons parturibat gemitus inmanes ciens IV 24.
Mordaciorem qui inprobo dente adpetit IV 8.
Muli gravati sarcinis ibant duo II 7.
Multos cum menses aegrotasset miluus VII 5.
Musca in temone sedit et mulam increpans III 6.
Mus quo transire posset flumen facilius VII 1.
Mustela ab homine prensa cum instantem necem I 22.
Naturam turpem nulla fortuna obtegit VII 17.
Ne gloriari libeat alienis bonis I 3.
Nemo libenter recolit qui laesit locum I 18.
Nil agere quod non prosit fabella indicat IV 25.
Nulli nocendum: siquis vero laeserit I 26.
Nuquamst fidelis cum potenti societas I 5.
Odiosa cornix super ovem consederat VI 24.
Olim Prometheus saeculi figulus novi VI 4.
Olim quas vellent esse in tutela sua III 17.
Opes invisae merito sunt forti viro IV 12.
Oves lupique cum certassent proelio VII 12.

Papilio vespam propter volitàns viderat VI 29.
Pastor capellae cornu baculo fregerat VI 22.
Pastum exitura fetum commonuit suum VII 8.
Paterfamilias saevum habebat filium VI 10.
Pavo ad Iunonem venit indigne ferens III 18.
Pendere ad lanium quidam vidit simium III 4.
Peras inposuit Iuppiter nobis duas IV 10.
Pereunt, auxilium qui suis dant hostibus VII 13.
Periculosumst credere et non credere III 10.
Personam tragicam forte vulpes viderat I 7.
Phaedri libellos legere si desideras III prol.
Plerumque stulti risum dum captant levem I 29.
Plus esse in uno saepe quam in turba boni IV 5.
Post aliquot annos quaedam dilectum virum VI 13.
Praecepto monitus saepe te considera III 8.
Pravo favore labi mortales solent V 5.
Premente partu scrofa cum gemeret iacens VI 17.
Puerorum in turba quidam ludentem Atticus III 14.
Quam dulcis sit libertas, breviter proloquar III 7.
Quamvis sublimes debent humiles metuere I 28.
Quantum valerent inter homines litterae IV 26.
Qui fert malis auxilium post tempus dolet IV 20.
Qui natus est infelix, non vitam modo IV 1.
Qui pretium meriti ab inprobis desiderat I 8.
Qui se committit homini tutandum inprobo I 31.
Qui se laudari gaudet verbis subdolis I 13.
Qui sustinere non potest proprium malum VII 7.
Quicumque amisit dignitatem pristinam I 21.
Quicumque turpi fraude semel innotuit I 10.
Quidam immolasset verrem cum sancto Herculi V 4.
Quidam per agros devium carpens iter VI 21.
Quid iudicare cogitet livor malus IV 22.
Repente liberalis stultis gratus est I 23.
Rogavit alter, tribadas et molles mares IV 16.
Serpens lacertam forte adversam prenderat VI 23.
Servus profugiens dominum naturae asperae VI 18.
Sibi non cavere et aliis consilium dare I 9.
Siquando in silvis urso desunt copiae VI 20.
Solent mendaces luere poenas malfici I 17.
Solet a despectis par referri gratia III 2.
Stultum consilium non modo effectu caret I 20.
Successus ad perniciem multos devocat III 5.
Super iuvencum stabat deiectum leo II 1.
Supersunt mihi quae scribam, sed parco sciens III epil.
Tu qui, nasute, scripta destringis mea IV 7.
Vbi vanus animus aura captus frivola V 7.
Vnam expetebant virginem iuvenes duo VI 14.
Vsu peritus hariolo veracior III 3.
Vt vidit asinus domino blandiri suo VII 3.
Vtilia nobis quae sint dic, Phoebe, obsecro VI 6.
Vtilius nil esse homini quam recte loqui IV 13; VII 15.
Vicini furis celebres vidit nuptias I 6.
Victorem forte gymnici certaminis VI 11.
Virtutis expers verbis iactans gloriam I 11.
Vulgare amici nomen, sed rara est fides III 9.
Vulpem rogabat partem caudae simius VI 1.
Vulpes cubile fodiens dum terram eruit IV 21.

# INDEX II.

Acceptor et luscinia VII 11.
Aesopus ad quendam de successu inproborum II 3.
Aesopus et domina VI 15.
Aesopus et petulans III 5.
Aesopus et rusticus III 3.
Aesopus et scriptor VI 7.
Aesopus et servus profugus VI 18.
Aesopus et victor gymnicus VI 11.
Aesopus respondet garrulo III 19.
Anus ad amphoram III 1.
Anus diligens iuvenem, item puella II 2.
Apes et fuci vespa iudice III 13.
Aquila et cornix II 6.
Aquila, feles et aper II 4.
Arbores in deorum tutela III 17.
Asinus ad lyram VI 12.
Asinus ad senem pastorem I 15.
Asinus domino blandiens VII 3.
Asinus et bos VII 18.
Asinus et galli IV 1.
Asinus et leo venantes I 11.
Asinus et porcellus V 4.
Asinus inridens aprum I 29.
Auctor II prol.; epil.; VI 2; 5; 6; 31.
Aves et hirundo VII 6.
Calvus et musca V 3.
Calvus et quidam aeque pilis defectus V 6.
Caesar ad atriensem II 5.
Canes et corcodili I 25.
Canes famelici I 20.
Canis ad agnum III 15.
Canis, sus et venator V 10.
Canis, thensaurus et vulturius I 27.
Canis fidelis I 23.
Canis parturiens I 19.
Canis per flumen carnem ferens I 4.
Canum legati ad Iovem IV 19.
Cervus ad fontem I 12.
Cervus et boves II 8.
Cicada et noctua III 16.
Cornix et ovis VI 24.
Culex et taurus VII 19.
De capris barbatis IV 17.
De fortunis hominum IV 18.
De leone regnante IV 14.
De lusu et severitate III 14.
De Simonide IV 23.
De vitiis hominum IV 10.
De vulpe et uva IV 3.
Demetrius rex et Menander poeta V 1.
Duo milites et latro V 2.
Duo iuvenes proci dives et pauper VI 14.
Equus et aper IV 4.
Equus et asinus VII 20.
Equus quadrigalis in pistrinum venumdatus VI 19.
Eunuchus ad inprobum III 11.
Ex sutore medicus I 14.
Fiber VI 28.
Formica et musca IV 25.
Fur et lucerna IV 11.
Gallus lectica a felibus vectus VI 16.
Gladius et viator VII 16.
Graculus superbus et pavo I 3.
Homines duo, mendax et verax, et simii IV 13; VII 15.
Iuno, Venus et gallina VI 9.
Iuvencus, leo et praedator II 1.
Lanius et simius III 4.
Leo et mus VII 4.
Leo senex, aper, taurus et asinus I 21.
Lepores et ranae VII 7.
Lepus et bubulcus VI 26.
Lupus ad canem III 7.
Lupus et agnus I 1.
Lupus et gruis I 8.
Lupus et haedus VII 8.
Lupus et vulpis iudice simio I 10.
Malas esse divitias IV 12.
Membra et venter VII 14.
Mercurius et duae mulieres VI 3.
Meretrix et iuvenis VI 27.
Miluus aegrotans VII 5.
Miluus et columbae I 31.
Mons parturiens IV 24.
Muli duo et vectores II 7.
Mulier parturiens I 18.
Mulier vidua et miles VI 13.
Musca et mula III 6.
Mus et rana VII 1.
Mus urbanus et rusticus VII 2.
Mustela et homo I 22.
Oves et lupi VII 12.
Ovis, canis et lupus I 19.
Ovis, cervus et lupus I 16.
Panthera et pastores III 2.
Papilio et vespa VI 29.
Paterfamilias et Aesopus VI 10.
Passer ad leporem consiliator I 9.
Pastor et capella VI 22.
Pavo ad Iunonem de voce sua III 18.

Pecudes, aves et vespertilio VII 10.
Phaedrus I prol.; IV 7; 22.
Phaedrus ad Eutychum III prol.
Poeta III epil.; IV 2; 5; 26; V prol.
Poeta ad Particulonem IV prol.; epil.
Poeta de credere et non credere III 10.
Pompeius Magnus et eius miles VI 8.
Princeps tibicen V 7.
Prometheus IV 15; 16.
Prometheus et Dolus VI 4.
Pugna murium et mustelarum IV 6.
Pullus ad margaritam III 12.
Rana rupta et bos I 24.
Ranae ad solem I 6.
Ranae metuentes taurorum proelia I 30.
Ranae regem petierunt I 2.
Rusticus et arbores VII 13.
Scrofa parturiens et lupus VI 17.
Scurra et rusticus V 5.
Serpens ad fabrum ferrarium IV 8.
Serpens et lacerta VI 23.
Serpens, misericordia nociva IV 20.
Servus et dominus VI 25.
Servus fugitivus et leo VII 9.
Simius et vulpis VI 1.
Socrates ad amicos III 9.
Soror et frater III 8.
Taurus et vitulus V 9.
Tempus V 8.
Terraneola et vulpes VI 30.
Vacca et capella, ovis et leo I 5.
Viator et corvus VI 21.
Vrsus esuriens VI 20.
Vulpis ad personam tragicam I 7.
Vulpis et aquila I 28.
Vulpis et caper IV 9.
Vulpis et ciconia I 26.
Vulpis et corvus I 13.
Vulpis et draco IV 21.
Vulpis in hominem versa VII 17.

# INDEX III.

Aeetes IV, 7, 12.
Aegaeus IV, 7, 19.
Aesopius IV prol. 12.
Aesopus I prol. 1; 2,9; 6,2; 10,3; II prol. 1; 3. 4; epil. 1; III prol. 29; 52; 3, 14; 5, 2; 14, 2; 19, 1; 8; IV prol. 12; 5, 29; 7, 5; 18, 2; 22, 4; V prol. 1; VI, 7, 1; 10, 5; 15, 1; 15; 18, 2.
Anacharsis III prol. 52.
Apollo III prol. 57; 16, 12.
Argus IV, 7, 9.
Asia IV, 23, 4.
Athenae I, 2, 1; IV, 5, 13; V, 1, 2.
Atticus subst. I, 2, 6; II epil. 1; III, 14, 1; IV, 5, 32.
Augustus III, 10, 39.
Bacchus VI, 14, 28.
Bathyllus V, 7, 5.
Caesar II, 5, 7; 19.
Cassandra III, 10, 4.
Cato IV, 7, 21.
Cia IV, 23, 8.
Clazomenae IV, 23, 17.
Cybebe III, 17, 4; IV, 1, 4.
Danais VI, 5, 10.
Dardania III prol. 28.
Delphi VI, 6, 2.
Dolus VI, 4, 5; 12.
Eutychus III prol. 2; cf. epil. 20.
Falernus III, 1, 2.
Fortuna I, 7, 4; IV, 12, 5; VI, 2, 4.
Gallus (Cybebes sacerdos) IV, 1, 4.
Graecia II epil. 9; III prol. 54.
Graecus subst. VI, 28, 2.
Graius subst. IV, 7, 11.
Hercules III, 17, 4; IV, 12, 3; V, 4, 1.
Hippolytus III, 10, 3.
Hymenaeus VI, 14, 10.
Ilium III, 10, 4.
Iuno III, 18, 1; VI, 9, 1; 13.
Iuppiter I, 2, 11; 22; 27; 6, 5; III prol. 18; 17, 2; 6; IV, 10, 1; 11, 1; 17,1; 19,1; 10; 13; 27; 21,12; V, 8, 4; VI, 2, 9; 12; 4, 4; 13, 6.
Ixion VI, 5, 1.
Lacon V, 10, 7.
Latinus adi. IV epil. 6.
Latium II epil. 8.
Leda IV, 26, 9.
Liber IV, 16, 8.
Libitina IV, 21, 26.
Linus III prol. 57.
Lucullus II, 5, 9.
Magnus VI, 8, 7; 21.
Manes I, 27, 4.
Mars VI, 8, 18.

Medea IV, 7, 13.
Menander V, 1, 9; 17.
Mendacium VI, 4, 21.
Mercurius I, 2, 27; IV, 19, 9; VI, 3, 1.
Minerva III, 17, 5.
Minos IV, 7, 19.
Misenensis II, 5, 8.
Mnemosyne III prol. 18.
Molosus; cf. I, 12, 9.
Musa III prol. 16; 57; VI, 31, 1.
Myro V prol. 7.
Neapolis II, 5, 7.
Nilus I, 25, 3.
Orpheus III prol. 57.
Palladius IV, 7, 9.
Pallas III, 16, 13.
Parnasus VI, 6, 2.
Particulo IV prol. 11; epil. 5.
Pelias fem. IV, 7, 16.
Pelias masc. IV, 7, 13.
Pelius IV, 7, 6.
Pelusius II, 5, 12.
Phaedrus (sive Phaeder) III prol. 1.
Phalereus V, 1, 1.
Phoebus III, 17, 3; VI, 6, 1.
Phryx III prol. 52.
Pierius III prol. 17.
Pisistratus I, 2, 5.
Plutos IV, 12, 5.
Pompeius VI, 8, 1; 29.
Praxiteles V prol. 6.
Princeps V, 7, 4; 17; 36.
Prometheus IV, 16, 3; cf. fab. 15; VI, 4, 1; 14.
Python VI, 6, 6.
Religio I, 27, 6; IV, 11, 4; VI, 6, 4.
Roma II, 5, 1; III, 10, 35; V, 7, 27.
Romanus subst. et adi. VI, 8, 16; 31.
Scytha III prol. 52.
Seianus III prol. 41.
Siculus adi. II, 5, 10.
Simonides IV, 23, 2; 20; 26, 4; 25; 27.
Sinon III prol. 27.
Sisyphus VI, 5, 3.
Socrates III, 9, 2; VI, 25, 1.
Sol I, 6, 3.
Tantalus VI, 5, 7.
Thessalus adi. IV, 7, 7.
Threissa adi. III prol. 56.
Tiberius II, 5, 7.
Tityos VI, 5, 13.
Tuscus adi. II, 5, 10.
Venus III, 17, 3; VI, 9, 2; 13; 14, 15; 28.
Veritas VI, 4, 2; 18.
Zeuxis V prol. 7.

# INDEX IV.

ac non invenitur ap. Phaedrum praeter illud: simul ac nisi I, 30, 7.
acceptor; cf. I, 9, 6.
aestimo, existimo III, 4, 5; IV, 19, 15; cf. VI, 8, 23.
aio, huius verbi ap. Ph. reperiuntur ea quae sunt ais, ait; praeterea illud quod formulae est instar: ut aiunt IV, 23, 8; V, 6, 6.
alius cum dat. sive abl. III prol. 41.
altrius III, 10, 55; IV, 9, 2; in aliis casibus e servatur.
anthac III, 1, 6.
ardalio II, 5, 1.
Attici i. e. Athenienses; ita semper Phaedrus.
autem vero verum; a. tert. l. I prol. 5.
avē VI, 21, 10.
basium V, 7, 28; alibi semper osculum.
benficium; ita semper Phaedrus.
bubus II, 8, 15.
camara IV, 26, 29.
certe pro certo I, 21, 12.
Cia IV, 23, 8.
ciere I, 18, 3; IV, 24, 1; VI, 3, 12.
coepi saepe abundat ap. Ph., ut apud Graecos ἄρχεσθαι.
coepi cum inf. pass. I, 12, 11; 19, 8, 9; IV, 18, 6; V, 7, 14.
cogo cum acc. et inf. V, 5, 35.
collectiva nomina cum plurali I, 10, 7; III, 7, 22; 10, 24.
comesse I, 13, 4; 20, 4.
concinno II, 4, 25; cf. III prol. 39.
coniunctivus perf. pro plusquamperf. III, 18, 2; 4; 19, 12.
conspargo II, 5, 15; IV, 19, 4.
corcodilus I, 25, 4; 6.
cortex fem. II, 6, 12.
Cybēbe, non Cybēle.
Cybebes IV, 1, 4.
deficere cum dat. VI, 4, 11.

deminutiva haud infrequentia ap. Ph.
demostro VI, 26, 9; demonstro III, 15, 19; VI, 5, 16.
deorum I, 2, 13; III, 17, 10; IV, 19, 22.
derisui I, 11, 2.
destino cum infin. IV prol. 1; VI, 18, 15.
dextera V, 2, 3; dexteram VI, 26, 8; non per syncopen.
di, dis, non dei, deis.
dis II, 7, 4; V, 5, 4. ditis VI, 14, 6; alibi dives casu recto et divitiae.
diŭtius; ita semper omnes poetae.
dominium VI, 18, 13.
domu; cf. VI, 10, 14.
ec; sic semper, ut vid., Ph. pro ex sequente consona praeter c.
ecce, en pariter ante vocalem et consonam adhibet Ph.
-em, Simonidem IV, 26, 25; 27.
-en, Praxitelen V prol. 7.
enimvero II, 5, 21; VI, 8, 20.
-erunt perfecti saepe corripit Ph.
excolere deos IV, 11, 10.
fabula, tragoedia IV, 7, 22; alibi idem quod fabella.
feles II, 4, 2; 4.
foret pro esset saepe adh. Ph., sed nullam personam praeter hanc.
fortuitus II, 4, 4.
frugalitas, probitas VI, 31, 2.
gallinacius III, 12, 1.
genus, genus studiorum II prol. 1; cf. IV prol. 13.
graecismi rarissimi ap. Ph.
gratis II, 5, 3.
gruis I, 8, 7.
haut cum verbo III, 2, 16; VI, 15, 16; cum nomine VI, 7, 5; 28, 12.
heia V, 6, 3.
hercle I, 1, 12.
impero cum acc. et inf. VI, 8, 20, 21.
incursito II, 7, 8.
inprobus vocabulum admodum frequens ap. Ph.
ioci III, 8, 7; VI, 9, 13.
is; huius pron. formae saepe inveniuntur ap. Ph., etiam eius, eorum, exceptis eis quae sunt ei, eis, i, is.
-is pro -es in acc. plur. pauca in Ph. edd. restant exempla.
it pro -iit; petit II, 8, 3; IV, 26, 6; perit II, 5, 24; IV, 23, 27.
-ius et -ium substantivorum praeter tribrevia genetivus modo abicit alteram i, modo retinet.
-īus in genetivis, non -ĭus.
iuvenis fem. II, 2, 5.
lagona I, 26, 8; 10.
lauri VI, 6, 5.
līquidus I, 26, 4.
lōcusta VI, 30, 7.
luscinius III, 18, 2; 11.
malficium I, 17, 1.
malficus II, 3, 2; II, 6, 2; VI, 27, 5.
Menander V, 1, 9; 17.
mercules III, 17, 8; ita semper Phaedrus.
miluus I, 31, 3; 10.
miseritus III, 2, 4; 15, 16.
Molosus; cf. I, 12, 9.
muttire III epil. 34.
namque modo primo loco modo, secundo; tertio VI, 16, 4.
naris emunctae III, 3, 14.
nausio IV, 7, 25.
Neapolim II, 5, 7.
nec semper dixit Ph. praeter III prol. 49, ubi leg. in init. metri 'neque enim'. nec ne — quidem IV prol. 21.
necopinus; ita semper Ph.
ni pro ne aliquotiens legitur ap. Ph.
nil, nihil.
nilo minus III prol. 48.
-ŏ, homŏ, leŏ; vetŏ; volŏ; sciŏ; nesciŏquis.
obtrecto cum acc. II epil. 10; IV prol. 16.
occucurrit in eod. hemistichio III, 7, 3; VI, 30, 3; contra occurrit VI, 18, 2; accurrit VI, 17, 2.
omitto c. infin. VI, 28, 9.
-os Tityos VI, 5, 13; cf. III, 17, 3.
paterfamilias III, 10, 48; VI, 10, 1.
periculum semper sing. num.
persuasus I, 8, 7; III, 5, 8.
petivi II, 1, 10.
petra VI, 20, 2.
Phalerĕus V, 1, 1.
plane pro sane III, 7, 26; 13, 7.
plebes IV, 6, 13.
plenus semper cum abl. ap. Ph.
potis III, 12, 7; potis est VI, 28, 1; cf. IV, 5, 32.
prendo; ita semper Ph.
prŏcuro III, 3, 16.
propter locale II, 6, 7; VI, 29, 1.
protinus IV, 20, 4; VI, 3, 7.
pulchre, bene, probe; ita saepius Ph.

qui, quomodo I, I, 7.
quippe cum partic. I, 28, 7; III, 2, 5; 8, 8.
quis pro aliquis III prol. 51; III, 17, 8; IV, 5, 40; VI, 2, 4; 5, 15.
quis pro uter I, 24, 8; III, 13, 14; IV, 25, 3; quisque pro uterque VI, 3, 8.
quis pro quibus III, 13, 11; VI, 7, 2 al.
rēcidat III, 18, 15.
rediīt IV, 4, 5.
rĕi III, 10, 2 al.
rĕlicuus, rĕliquiae, rĕligio; ita semper Ph.
Religio I, 27, 26; IV, 11, 4; VI, 6, 4.
repperi, rettuli, rettudi; ita semper Phaedr.
retorridus IV, 2, 15.
revertier IV, 19, 14.
rimo III, 10, 49.
semanimus I, 9, 8.
semisomnus IV, 16, 11.
sese, non tete aut meme.
similis cum dat. et gen. ap. Ph.: ita similis tibi IV, 21, 15; similes tui IV prol. 18.
simius; ita semper Ph.
simplicia saepe pro compositis ponit Ph.
simul saepius quam simul ac leg. ap. Ph.
stomachans, irascens VI, 8, 21.
suesco; ab hoc verbo quae descendunt, apud Ph. habent semper u vocalem.
supera I, 2, 20; cf. IV, 26, 24.
suspītio (suspīcio) III prol. 45; III, 10, 36.
tensus III, 14, 10; retensus ib. 5.
terraneola VI, 30, 1.
timo III, 6, 1.
traiectiones pronominum relativorum nec minus coniunctionum maxime relativarum et copulativae 'et' frequentes ap. Ph.
validius; ita semper Ph.
vemens; ita semper Ph.
veretrum mulieris IV, 15, 1.
vescor cum accus. I, 31, 11; II, 6, 13.
vidĕ III, 6, 3; VI, 10, 14.
virginale IV, 16, 12.
-um pro -orum; deum saepius; superum V, 6, 5; Graium, barbarum IV, 7, 11.
vulgus masc. gen. IV, 16, 4.
vulturius I, 27, 8.
Zeuxida accus.; cf. V prol. 7.

---

# INDEX V.

acceptor I, 9, 6.
adsentio VI, 4, 22.
aequalitas VI, 14, 29.
alius — alter I, 4, 4.
alius c. abl. III prol. 41.
allitteratio I, 3, 9.
Apollonis III, 16, 17.
arbitror VI, 8, 23.
ardalio II, 5, 1.
artium chorus III prol. 19.
asinus ad lyram VI, 12 inscr.
asyndeta frequentia ap. Ph. V, 6, 3.
attractio IV, 5, 23.
corpora appositi instar IV, 23, 4.
curo cum coni. V, 2, 6.
Demetrius Phalereus et Poliorcetes V, 1, 1.
divi III, 17, 2.
ec I, 2, 17. ec omissum I, 8, 11.
edo I, 9, 3.
elisio longae sequente acuta III, 15, 2.
elisio spondiacorum et anapaesticorum voc. in arsi pedis tertii I, 2, 23.
equidem II, 7, 11.
et prius omissum II, 5, 4.
excedo cum accus. VI, 3, 6.
expeto c. inf. I, 16, 2.
exta deum IV, 25, 6.
feles immansuetae II, 4.
fera et ferus III, 2, 15.
fiber VI, 28.
fors forsan III prol. 51.
fragor VI, 14, 16.
genus II prol. 1.
graeca ap. Ph. VI, 28, 4.
Hebri impetus III prol. 59.
homo IV, 19, 34.
ignotus I, 11, 2.
ilico VI, 13, 18.
immo VI, 5, 12.
interpunctio post arsin quintam V, 7, 17.

item in inscriptionibus II, 5.
iterum VI, 21, 4.
mactare I, 1, 13.
mage V, 3, 11.
mercules I, 25, 7.
mihi mi VI, 9, 12.
mittere panem II, 3, 2.
molosus I, 12, 9.
naris emunctae III, 3, 14.
nemoricultrix II, 4, 3.
Nemosyne III prol. 18.
nil nihil III, 10, 28.
numquid ecquid VI, 7, 4.
ostendo IV prol. 12.
potis III, 12, 7.
part. praes. pro futuri I, 2, 22.
pendens petra VI, 20, 2.
perit pro periit IV, 23, 27.
petra VI, 20, 2.
Phaedrus unde sumpserit argumenta fabularum I inscr.
praemetuens cum accus. I, 16, 4.
praemium poena IV, 19, 30.
prorsus rursus I, 24, 6.
Python VI, 6, 6.
quaeso I, 15, 7.
quando I, 2, 23.
quandoquidem I, 2, 23.
que — que II, 5, 4.
quin I, 8, 17.
quo modo IV, 22, 1.
quoniam I, 2, 23.
quoniam — quia I, 5, 7, 8.
Religio I, 27, 6.
repente subito VI, 14, 15.
ridere secum VI, 2, 9.
ridicule III, 4, 5.
sat IV, 19, 19.
satius VI, 8, 23.
semita — via III prol. 38.
servitus servus III prol. 34.
sodes VI, 9, 5.
stomachans VI, 8, 21.
Syri sententiae V, 3, 11.
tacta invidia I, 24, 3.
trico III, 6, 9.
vafer VI, 20, 6.
venatorum necem II, 8, 2.
-um in genetivis IV, 7, 11.
Zeuxida nomin. V prol. 8.

## CORRIGENDA.

In var. lect. IV, 9 inscr. v. 1 legendum: *cf. not. Vincent. et Gud.;* ib. 2 omittenda illa: *et Rig.*

LL
P5[illegible]24M

Author Phaedrus.
Title Fabularum Aesopiarum, libri quinque; ed. by Lucianus Mueller.

DATE
NAME OF BORROWER

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED